1526

DE ARTE RHETHORICA LIBRI TRES.

EX ARISTOTELE CICERONE, ET QVINCTILIANO PRAECIPVE DEPROMPTI.

AVCTORE CYPRIANO SOARIO Sacerdote Societatis IESV.

NVNC AVTEM FEDERICI CERVTI Veronensis commentarijs illustrati.

Accesserunt & alia, quæ sequens indicat pagina.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum sub Monocerote.
Anno M. D. XCI.

Accesserunt præterea eiusdem Veruti Commentaria in Orationes Ciceronis pro M. Marcello & Caio Rabirio.

Necnon de Oratoris Officio, & de quinque Rhetoricæ partibus disputatio, atque de quinque Orationis Partibus.

Denique Comment. in M. AEmilij Lepidi COSS. *Orationem ex libr. primo Historicarum Salustij.*

Quibus omnibus Artificium Rhetoricum exactissimè ostenditur.

AVRELIO PRANDINO I. V. PERITISSIMO.

ADVOCATO ET IVDICI FISCALI VERONAE,

Federicus Cerutus. S. P. D.



VLTA sane ab hominibus, excellẽti ingenio prę ditis, magnisq́; vigilijs excogitata, magnisq́; laboribus inuenta fuisse, quæ ad hominum vsus adprimè necessaria sunt, si quis proprius atendet, facile intelliget: quæ omnia vt laude valde digna sint, ex ijs tamẽ alia alijs excellere, longeq́; digniora esse, nemo sanæ mẽ t[illegible]bit vnquam: nam res quasdam ad vo[illegible], ad oblectandosq́; sensus inuentas, [illegible]acilè carere possimus; nonnullas aũt [illegible] recte instituẽdam repertas, quibus [illegible]imur, eas valde desiderare cogamur [illegible]uod quisquam inficiatur. Has autẽ [illegible] diligenter inspiciamus, facilè ap-

† 2 pare-

parebit, quibusdam non vbiq;, non semper, nonnullis vero vbiq;, & semper nobis opus esse. Quarum è numero ū qua est, cui palma sit præbenda, sanè hanc sibi ipsam Eloquētia iure optimo vindicabit. Etenim si rē vnamquanq; ex ea, quæ nobis emanat, vtilitate, expendere velimus, quid eo laudabilius dici, aut excogitari potest, quàm quo omnium salus continetur? Hoc vero quid poterit præstare, nisi ipsa præstiterit Eloquentia? quæ potuit dispersos homines in vnum congregare; congregatos vero ita retinere, vt si quādo prauitate animi aliqua disgregari cupiant, ipsos sua excellētia arctè adeo deuinciat, vt c[illegible] facile ostendat, in sui ipsius potestate [illegible]sus omnium, animosq; esse. Quod [illegible] clare patet, & ex optimorum [illegible]torū [illegible]tiōe tam facile perspicitur, vt quæcumq; domi, forisque acta vnquam fuerint, hinc sua initia duxisse, hac moderatrice gesta, huius auctoritate confecta fuisse dignoscatur. Nam quid hæc non potuit præstar[illegible] vlquā tr[illegible] pidis in rebus homine[illegible] nimis a[illegible] extiterunt, vt alicuiu[illegible] non non audaces sint fact[illegible] vn[illegible] re propria tam neglig[illegible] re[illegible] endas dicente aliquo [illegible] t i[illegible] ti? qua laude, quibus p[illegible] nq[illegible] re potuerunt ij, qui pro patri[illegible] fo[illegible] nando occubuerūt, aut illā defen[illegible] nue se gesserunt? Nunquam hom[illegible]

bitas innocentis dignitatem tantum potuit imminuere, quin Oratoris, id eſt viri boni, eloquentia fuerit adaucta: vt facilè dignoſcere poſsimus, in hac quouis loco, vbiuis gentium, quocumq; tempore homini maximũ robur extitiſſe; neque immerito apud quaſuis nationes, & in qualibet bene inſtituta Republica ſemper hanc floruiſſe, & dominatam eſſe: nunc vero tanto in pretio haberi, ab hominibus adeo ſuſpici, vt quia cæteris omnib. rebus præſtare exiſtimetur hac vna Regum Oratores apud Reges grauiſsimis de rebus acturi prudẽtiſsime vtantur. Nã ſiue vllus belli tumultus excitetur, ſiue quis regno, ſuiſq; rebus ſit contentus, ſiue etiam maiora appetat, quid aptius ad otium gentibus conſtituendum, quid accõmodatius ad dignitatem imperij conſeruandam, quid opportunũ magis ad terminos proferendos diſerto, & facundo viro? Armis ſanè perſępe ad hæc conficiẽda vtuntur homines: ſed quod ſapientes viri intelligant, quæcunque hoſtili ferro conficiuntur, eadem oratione poſſe cõfici, quod magis homini eſt proprium, eo prius, & libẽtius vtũtur. Itaq; & in pace Oratores ad viros principes mittuntur, qui eandem poſsint prudentia, ſuaq́ue facundia fouere; & diuturnis bellis defeſſæ gentes per legatos, & oratores otiũ, & quietem repoſcunt: ita vt prudentiſsime excogitatum videri poſsit, nullum eſſe regnum nullam Rempublicam, nullum imperium,

 quod

quod non per legatos ea tractet, quibus prę̨ci
puè suus status cõtineatur: intelligit enim si
cui natura, aut exercitatio doctrinę, probita-
tasq; tantum tribuit, vt ijsdem excellat, huic
consilio, & eloquentia plurimũ pollenti gra-
uissima quæque esse cõmittenda. Huius tu,
Prandine præstantissime, cum iam inde à te-
neris annis desiderio flagrare cæpisses, paula-
tim post eius venustate, & prę̨stantia adeo ca-
ptus fuisti, vt ei te totũ dicaueris; atq; vt hanc
adipisceris, quandiu per ætatem humaniori-
bus studijs licuit vacare, nullis vnquã labori-
bus, nullis vigilijs parcere voluisti: Cum ve-
ro ad legalẽ scientiam tuas cogitationes con-
uertisses, ne hanc quidem tamen intermitten
dam existimasti; quippe qui intelligeres, mu-
tam pœne esse eam Iurisprudentiam, quę nõ
eloquentiæ sit coniuncta; in foroq; se ipsam
prodat, & declaret. Ex vtraq; autem, quas tibi
laudes, quam famã, quos plausus cõparasti, &
excepisti? Licet mihi hoc ab humanitate tua
impetrare, vt aliqua ex parte hæc commemo-
rem, quas enim pro patria tua legationes sus-
cepisti, q̃ pro eius incolumitate suaseris, quid
pro ciuibus, amicisq; tuis egeris, hæc, vt ipsa
cę̨teris nationibus innotescant, exigere vidẽ-
tur. Itaque si quando apud Senatum Venetũ
grauissimis de rebus agendum esset, non se-
mel id tibi muneris demandatũ fuit: vbi te cõ
sulente, teq; agente perbelle omnia sunt im-
pę̨trata: quod & si nonnullis fortasse minime
mi-

mirum videri poteſt, quippe quòd ad conſiliũ & rationẽ omnia referas, eſt tamen non in poſtremis habendũ, quod in tuis actionibus fœlix vſquequaq; videaris. Quid ſi quãdo accidit, vt qui recte, prudenter, iuſteq; Remp. adminiſtraſſent, abeuntes magiſtratu laudib. eſſent ornandi, id tibi ſi mandabatur, quàm diſertè, quàm cumulatè præſtitiſti? teſtes ſint non modo qui interfuerunt, ſed etiam qui re lata audierunt, quãta ſint lætit.a perfuſi, quos tu dicẽdo laudaueras: non enim in hoc genere vlla ornamenta, vllam copiam, vllos lepôres; vllam dicendi venuſtatẽ omiſiſti, quæ illorum ſummam virtutem indicare, extollere, & celebrare poſſent. Cuius facti gratia cum Clariſsimi viri illi penitus perſpectum haberent quantam iuris ciuilis cognitionem conſecutus eſſes, quanta animi integritate præditus, quantum in cauſis agendis, & iudicãdis iudicio valeres, ad Sereniſsimum Senatũ Venetũ retulerunt, de te electo Iudice, & Aduocato Fiſcali, quod vtrumque, vt antea nulli congerat, ita maxima tua cum laude totius Senatus conſenſu tibi eſt demandatum, & diplomate perhonorifico comprobatum. Hanc autem prouinciam tanta cum æquitate exerces, vt nullus ſit de te conquerendi locus: non enim tantum apud te valet aut affinitas, aut amicitia, vt non æquitatem vbique ſerues, nec vlla lucri ſpe ita impelleris, vt nõ ius ſuum vnicuique tribuas. Itaque ſi quando tuo

do tuo iudicio res familiaris alicuius immi-
nuitur, nec dolet ille, & re iudicata si eandem
retinet, tibi immortales agit gratias. Iam ve-
ro quid dicam, quanto studio, quanta cura,
qua caritate, qua fide patrociniū eorū susce-
peris, qui litibus ciuilib. exagitati, aut aliquo
facto in ius vocati ad te confugerint? Constat
sane, nihil vnquam à te iniuste fuisse suscep-
tum, nihil defensum, quòd à religione, æqui-
tateque esset seiunctum: nihil auaritiæ causa
egisti, nullo precio corrumpi potuisti: sed o-
mnia libenter, diligenter omnia, fideliterque
adeo es tutatus, vt & illi rem suā retinere, aut
amissam recuperare potuerint; hi vero ab im
minenti periculo liberati, quòd lucis vsura
fruantur, quod dignitatem suam retineant,
id totum tuæ humanitatis, tuæ fidei, tuæ elo-
quentiæ referant acceptum. Quod vt nō pau
ci, quibus durissimo tēpore, hoc est in capita
li causa, affuisti, testificari possūt, ita mihi in
ciuili fratris mei causa contigisse vere, since-
reque fatebor. Res grauissima agebatur, & eos
aduersarios habebam, quorum consilia exi-
tium penitus nostrum machinabantur: Tu
mihi affuisti, non prece, aut precio impulsus,
sed pietate, sed caritate, sed religione ipsa, cu-
ius adprime studiosus es, adductus: nec prius
ab incepto destitisti, quin consilio, reque iu-
ueris, & me seruatum ab vndis aura eloquij
tui secūdissima in portum deduxeris: Quod
factum cum mihi in mentem sępissime veni-

at,

at, immo cum nunquam ab animo discedat, sic angor, sic discrutior, cum, me tibi parē gratiam referre non posse, intelligam, vt vita mihi minus sit iucunda: non enim eorum è numero esse possum, qui beneficia accepta obliuioni statim tradant; sed me illa plurimū conficit cogitatio, illa me angit grauiter cura, cū, qualis tu erga me extitisti, talis ego erga te esse nequeam. Tu Prandine præstantissime nosti, homines iuuare posse, præclarissimum esse laborem; ego vero experior, tot tua in me immortalia merita sustinere perpetuum, idemque grauissimum esse pondus. Reficit me tamen plurimum, leuatque non parum illa tui animi magnitudo, quam scio nullam aliam à me compositionem expectare, nisi beneficij accepti gratissimā recordationem; quam tibi libenter adeo polliceri audeo, vt etiam, ad posteros meos emanaturam velim hanc, existimes: Cuius rei pignus aliquod vt haberes, cum editurus essem Commentariū in Rhetoricam Cypriani Soarij, Societatis Iesu Sacerdotis, hunc in tuo nomine apparere volui; idq; eò libentius facere constitui, quo non modo id aptissimum esse videbatur ad indicandum quantum tibi deberem, sed etiam non ab re factum posset existimari, si labores hi mei, quos in arte Oratoria explicanda susceperam, summi Oraroris nomine, & fauore, hoc est tuo, cohonestarentur. Hoc vero pertenue admodum munus, profectum

ab eo, cui tu summa humanitatis officio tribuisti, candor animi tuus, summaque integritas subleuabit, & me eum esse putabis, qui cum ingratitudinis infamiam effugere prorsus vellem, parum malui, quàm nihil dare. Vale, Vir Excellentissime, & Cerutum, quem in tuo ære scis esse, amato: tuaque auctoritate ab ijs, quibus fortasse hæc parum digna esse videbuntur, tuere & defende.

CYPRIA-



CYPRIANVS SOARIVS CHRISTIANO LECTORI. S.

LONGE profecto melius, atque prudentius studijs suis consulunt, qui opttimos auctores in omni disciplinarum genere legendos sibi, atque imitandos proponunt, quàm qui his neglectis, delectu omni ac discrimine remoto, quosuis cupidißime sequuntur. Quod si quis vetera paulo altius repetere voluerit, quocunq; se animo & cogitatione conuertet, hoc ita esse comperiet. Vt enim alios omittam, qui in bonarum artium studijs liberalißimis sunt, doctrinisque versati, satis constat, Platonem ingenio, doctrina, & copia dicendi longe omnibus superioribus præstitisse. Ergo ex eius disciplina quot viri, quanta scientia, quantaqúe in suis studijs varietate, & copia quàm admirabiles extiterunt? Atqui, vt alios sileam, quorum scripta temporum iniuria perierunt, illi & Aristotelem summum philosophum, & Demosthenem, omnium oratorum facile principem, proculdubio debemus. Siquidem Aristoteles totos viginti annos Platonem audiuit: Demostenes vero eundem non solum audiuit, sed etiam lectitauit. Quid Ciceronem ad tantum in Philosophia & eloquentia decus euexit? An non Platonis, Aristotelis, & Demosthenis imitatio? Finis non sit. si velim eos numerare, qui ex Aristotelis disciplina in omni doctrinæ, & ingenij laude præstantes prodierunt.

Tan-

Tanti refert, quem imiteris, quem legas, quem admireris. Hoc intelligentes nostræ Societatis præceptores, ex eo tempore, quo iuuentutem virtute, & litteris informant, eos authores discipulis exponũt, qui præter cæteros in suo genere floruerunt. Qua de causa molestius etiam ferebant, nullum esse librum veterum scriptorum, qui adolescentibus, discendi cupidis, primum auditum ad eloquentiam aperiret. Non quod doctrina dicendi parum Latinis litteris sit illustrata; nam & Quinctilianus de ea diligentissimè, simul & doctissimè scripsit, & in libris Ciceronis tantum est curæ, tantum suauitatis, elegantiæ, atque doctrinæ, vt ne apud Græcos quidem, aut pluribus, aut melioribus præceptis rationis facultas sit exornata; sed quod ad primam tyronum institutionem eorum scripta minus sint accommodata. Quid enim discipulis ad hæc studia ingredientibus, explicarent? Quinctiliani libros? sunt illi quidem, vt dixi, summa diligentia, singulari iudicio, summa eruditione conscripti, at ita sunt longi, sic nonnunquam obscuri, vt maius otium, & acrius iudicium desiderent. Partitiones oratorias? at ita sunt breues, & concisæ, vt multas, & magnificas eloquentiæ opes constructas & reconditas, nimis anguste coarctent. Libros de Oratore ad Quinctum Fratrem? at in dialogo sunt scripti. Præcipuas autem in illis partes habent L. Crassus, & M. Antonius, homines vt dignitate, sic eloquentia in Romana Republ. maximi, qui minora illa, sed discentibus in primis necessaria, celeriter transigunt: quæ vero sunt à vulgari intelligentia magis remota, ea, non facile dixerim, ornatius ne, an copio-

piosius prosequantur. Huc accedit, quod dum Crassus perfectum, Antonius communem informat oratorem, magnis altercationibus, qui dialogorum est mos in cõtrarias partes disseritur, quod mediocriter quidem eruditis, qui iudicij iam aliquid habent, non solum magnam & ingenuam delectationem, sed mirabilis etiam vtilitatis fructum affert: tyronibus non item, qui disputationis vim, atque incitationem aspiciunt, vestigia, ingressumqúe vix intuentur. Duos de inuentione libros puero sibi inchoatos, & rudes, Cicero excidisse affirmat, propterea quòd nec oratione expoliendæ, & conformandæ rationem docent, nec inueniendi fontes ab Aristotele demonstratos, aperiunt. Itaque multa in eis præcepta sunt, quæ editis postea libris idem Cicero improbauit. Libri verò ad Herennium, à quocumqúe illi sint scripti, similem inueniendi viam demonstrant, & quædam de statu, multa de verborum, & sententiarum continent ornamentis, diuersa ab his, quæ Cicero, & Quinctilianus eisdem de rebus tradiderunt. Topicorum liber tantummodò declarat viam, ab Aristotele inuentam ad reperiendum in omni ratione argumentum & quoniam ad Trebatium iurisconsultum scriptus est, exempla habet, ex intima iuris scientia desumpta; quæ vsque eo sunt difficilia, vt sua obscuritate multos ab eius libri lectione reijciant. In Oratore vero ad Brutum, quæ sit optima species, & quasi figura dicendi, Cicero disertissime exponit. Sed cum ad Brutum scriberet vulgaria præcepta permulta, quæ discendi studiosis vehementer conducũt,

bre-

breuiter percurrrit, vel penè præterit: quæ verò de orationis numero mirabiliter præcipit, vt adeuntibus ad eloquentiam vtilia sint, ordinem alium, & exemplorum lumen desiderant. His de causis cupiebant nostri præceptores, vt omnes eloquētiæ partes explicatæ definitionibus, exemplis illustratæ ex Aristotelis sententia, Ciceronis verò, & Quinctiliani non sententia solum, sed plerumque etiam verbis aliquo libro, via, & ordine comprehenderentur. Futurum enim existimabant, si id fieret, vt discipuli simul cum vulgaribus Rhetoricæ præceptis illa magis recondita de argumentorum locis, de amplificatione, de orationis forma, & numero perciperent. Quàm ego prouinciam cum eorum voluntate suscepissem, quibus libenter vitæ meæ rationes commisi, his tribrus libris dicendi præcepta, quantum exiguæ ingenij mei vires efficere, & consequi potuerunt, complexus sum, vt iuuarem adolescentes ad legendos Aristotelis, Ciceronis, & Quinctiliani doctißimos libros, quibus eloquentiæ fontes continentur. Neque verò ignoro multa horum, quæ à veteribus sunt tradita, ab his, à quibus defendi æquius erat, editis etiam libris oppugnari. Sed cum à multis, qui singulari doctrina sunt præditi, eadem defensa sint, mihi cōsilium fuit, de his quæ tot doctißimorum seculorum approbauit consensus, nihil sine ratione mutare. Imo verò te, Christiane lector, vehementer oro, atque obsecro, vt hanc libidinem temere contradicendi veteribus scriptoribus de animo tuo penitus euellas, ne ad eius perniciem longius deinde serpat. Nam simul atq; cupiditas

hac

hæc ad ingenium, tanquam fax ad materiam, adhæsit, incredibile dictu est, quæ continuò excitet incendia. Illud enim tibi persuadeas velim, nos nihil magis cupere, quam vt virtute, & literis maxime sis ornatus, vt Christo Iesu, qui est parens, & salus vitæ nostræ, gratus sis & iucundus.

IN



INDEX ALPHABETICUS RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HAC RHETORICA CONTINENTVR.

C.

Con-

FINIS.

IN LIBROS DE ARTE RHE-
torica, Autoris Prooemium.



Ationis & orationis tanta eſt ſimilitudo, vt Græci, qui nõ intelligendi ſolùm, ſed loquendi etiam principatũ tenuerunt, vno vtramque vocabulo, Latini, Græcorum prudentiæ æmuli, eodem penè nominarint. Eſt enim oratio quaſi rationis imago quædam. Rationem in mente, cui regnum totius animi tributum eſt, Deus Opti. Max. poſuit: orationis ſedem idem ſummus opifex in celſiſsima ac nobiliſsima corporis parte collocauit: ratio eſt ſicuti lux quædam, lumenq́ue vitæ, oratio eſt rationis decus, & ornamentum: ratio regit ac moderatur proprium animũ, oratio flectit etiam alienos: rationis eſt ſpecies admirabilis, eã tamen intus latentem orationis pulchritudo declarat. Ita quod lumen eſt Soli principi, ac moderatori luminum reliquorum, id eſt oratio rationi dominæ, ac reginæ rerum omnium. Hinc nimirũ fit, vt ſummi illius rectoris mundi huius bonitatem, ſapientiam, vim, & poteſtatem ſuſpiciẽdam, admirandamq́ue hominum generi vt rationis, ſic orationis vis, & natura cogat cõfiteri. Quid enim admirabilius eſſe poteſt, quàm cogitationes tam multas, tam excellentes, tam varias, atque multiplices orationi commendari? Orationem verò exceptam aere quaſi vehiculo incredibili celeritate breuiſſimo temporis ſpatio ad quamplurimos peruenire? ac poſtremo per tenuiſsimos aurium meatus ſingulari opere, artificioq́ue perfectos, in alienos animos introire; atque in eis tam perfectè, tam inſigniter inprimere ſpeciem ſuam, vt

mœrentes consoletur, torpentes excitet, afflictos erigat, inani lætitia elatos cohibeat, & in quemuis denique motum auditorem impellat? Quòd si orationis tanta præstantia est, non potest non maxima esse dignitas Rhetoricæ, qua ornandæ orationis doctrina continetur. Eadem enim hominis ratio, quæ cæteras artes inuenit, dicendi quoque articium illustrauit. Nam primò terram peruagata non modò eius formam, situm, fœcunditatem, sed eorum etiam, quæ in ea gignuntur, varietatem, vsum, naturamque cognouit. Tum mare ingressa profundum, & immensum, quot genera, quamque disparia degentium in eo belluarum inuestigauit? Exin siderum ornatum, & pulchritudinem admirans, cognito prius aere, & his, quæ ex eo generantur, in cœlum vsque penetrauit. In quibus rebus tam multis, tam varijs, tam disiunctis, tam abditis, atque obscuris inuestigandis, si tanta fuit rationis sagacitas, & solertia, in expolienda oratione, quæ eius comes, & interpres est, non minor profectò fuit cura.

Hæc est eloquentiæ ortus, hæc nobilitas, hæc cum ratione coniunctio. Qua de causa vehementer vigilandum est ijs, qui sapientiæ flagrant studio, enitendumque omni cura, ac diligentia, vt Rhetoricæ, Dialecticæque præceptis optimè cognitis, ad reliquarum artium fastigium contendant. Quam viam iucundam, facilem, breuem, & quasi compendiariã, non modò non asperam, atque arduam, aut longam esse, comperient. Quod vt facilius consequantur, hi tres libri artificium dicendi, à veteribus traditum, breuiter explicabunt. Et in primo quidem libro, qui de Inuentione est, sedecim argumentorum loci sunt explicati, simul cum his, qui ad permouendos animos

ex ijſdem locis eruuntur. Præcepta etiam quædam ſunt expoſita ad exornationem, & deliberationem accommodata. In ſecundo verò, qui diſpoſitionis præcepta continet, de orationis partibus, de ſtatu, iudicatione, & ea controuerſia, quæ ex interpretatione ſcripti exiſtit: præterea de ratiocinatione, enthymemate, inductione, & exemplo agitur. Et quoniam frequens mentio facta eſt ab antiquis auctoribus Epicherematis, Soritis, & Dilemmatis, eorum vis explanatur. Tertius denique liber docet orationis ornatum, qui eſt in verbis, vel ſimplicibus, vel coniunctis. Itaque de verbis nouis, de inuſitatis, de tropis, de luminibus verborum, & ſententiarum, de origine, cauſſa, natura, & vſu orationis aptæ, ac numeroſæ, tum ad extremum de memoria, & pronuntiatione in eo differitur.

Sed quo maior vtilitas ex eloquentia percipi poſsit, Chriſtianis prçceptis diligenter ea purganda eſt. Vt enim bonus agricola vitem, quæ ſylueſcit, & in omnes partes nimia funditur, ferro coercens, tum fructu lætiorem, tum aſpectu pulchriorem reddit, ſic eloquentia ſi amputetur errorum initas, in quo delapſa eſt vitio hominum, diuinas leges ignorantium, ſuam admirabilem ſpeciem recuperabit. Excidatur igitur mentiendi licentia, quam ſeuerè diuinis præceptis interdictam Oratori Quinctilianus, & antiqui Rhetores concedunt: amputetur procacitas, & vitium illud teterrimum lacerandi alios probris, contumelijs, maledictis, cui vnum ne Demoſthenes, & Cicero tantoperè indulſiſſent: reſecetur arrogantia, & inanis laudis appetitus, qui aciem animi perſtringit, intelligatur, iniquum eſſe tenebras auditoribus offundere, ne verum perſpiciant, & ſuf-

gium,atq; ſententiam dicendo corrumpere, quod à Græcis & Romanis oratoribus eſt factitatum. His tot, tantiſque deletis maculis, continuo exiſtet illa diuina & cœleſtis Chriſtianæ eloquentiæ pulcritudo,quæ tanto erit præclara magis,& eximia, quanto diligentius ad omnium hominum vtilitatem conferetur, & ad laudes celebrandas Dei Opt.Max.qui ſermonem homini dedit,ad ſocietatem & coniunctionem cum hominibus tuendam.Hæc eſt illa Chriſtiana eloquentia, qua Gregorius & Baſilius nobiliſsimũ par amicitię,doctrinæ,ſanctitatis plurimum præſtiterunt, & Iuliani amentiſsimi, & profligatiſsimi hoſtis religionis, impetus omnes fregerunt : hac excelluit Athanaſius,vir ſanctiſsimus,quem nec ſæuiſsima periculorum tempeſtas,nec humanorum commodorum aura potuit vnquam de ſuo curſu dimouere, quin Arrij impium,& conſceleratum comprimeret furorem,hac floruerunt Chryſoſtomi,Ambroſij,Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, qui Chriſtianæ Reipublicæ fuerunt lumen longè clariſsimum. Vt alios quamplurimos omittam, quorum eſt copia digna Chriſtiani nominis gloria. Hos tales ac tantos viros qui volet imitari, colat Chriſtianam eloquentiam, quæ ex diuinarum rerum cura, & contemplatione,ex Chriſti Ieſu amore,ex maximarum denique artium ſtudijs effloreſcit.

DE

DE ARTE RHETORICA, LIBER I.

Quid sit Rhetorica, quod eius officium & finis.

CAPVT I.



HETORICA est vel ars, vel doctrina benè dicendi. Ars est, quæ cognitis, penitusque perspectis, & in vnum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. Esse autem eloquentiæ artem, perspicuum est: etenim cum plerique temerè, ac nulla ratione causas in foro dicãt, nonnulli autem propter consuetudinem aliquam callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animaduerterit, quid sit, quare alij melius, quàm alij dicant, id possit notare. Ergo id, qui in toto genere fecerit, is si non planè artem, at quasi artem quandam, inuenerit. Benè dicere est, optimis sententijs, verbisque lectissimis dicere. Rhetoricæ officium est, dicere appositè, ad persuasionem: finis, persuadere dictione.

Quid sit ars. 1. de Orat. Rhetorica est ars.

Aristot. 1. Rhet. ca. 1. Cic. 2. de ora.

Aliam definitionem inuenies c. 3.

Officium & finis Rhet. In Orat. De inuen.

ANNOTATIONES in caput primum.

Rhetorica est vel ars. *Definitiones & ab officio, & à fine, & ab vtroque ducuntur. Ab officio, esse artem benè dicendi: à fine, esse facultatem persuadendi: ab vtroque, esse scientiam benedicendo persuadendi.*

Est vel ars. *Variæ rationes, & opiniones à Cicerone,*

ne passim afferuntur, cur ars multis non videatur Rhetorica. Vt autem quæstio hæc facilè explicetur, scire debemus, Scientiam, siue artem omnem duobus considerari modis: primò subtili, accurata, & philosophica quadam ratione pro cognitione rei tantùm necessaria, quæ aliter se habere non potest: qua consideratione neque Rhetorica, neque Dialectica est scientia, vt perspicuum omnibus esse potest. Secundò, accipimus scientiam largo modo pro quacumque cognitione rei tam certæ, quàm incertæ: quo pacto omnes artes, etiam Mœchanicas scientias vocamus: atque artis nomine largè sumpto, dicimus, Rhetoricam esse scientiam, siue artem.

Ars est, quæ cognitis. *Iuxtà quam definitionem Carneades, nullam sibi artem videri Rhetoricam, dicebat. Plato quoque in Gorgia asserebat, Rhetoricam esse peritiam quandam, non autem artem: quoniam nullam eorum, quæ affert, qualia sint natura, habet rationem: quo fit, vt nullius rei causam possit afferre.* Rebus fallentibus. *Res intellige perceptiones, seu præcepta, vnum finem spectantia, ex quo aliquando sapienter rationem præceptorum sumendam esse, de Inuentione libro primo docebat Cicero.* Esse autem eloquentiæ artem. *Hac ratione Crassus apud Ciceronem Carneadis opinionem refellebat, ostendebatque, hac obseruatione Rhetoricam vocari posse artem. Aristoteles quoque in Probemio Rhetoricæ hoc argumento vtitur secundo loco ad probandum, Rhetoricam in artem redigi posse.* Dicere appositè. *Fallitur ergo auctor ad Herennium, qui non dicere, sed posse dicere, scripsit. Ratio hæc est, quod orator fungeretur officio suo, cum posset dicere, neque tamen diceret:*

ceret: quod à Doctißimo viro, Antonio Riccobono, annotatum fuit. Officium, finis. *Inter officium, & finem hoc interesse, scribit Cicero primo de Inuenuentione, quod in officio quid fieri conueniat, id est, quæ sint eius partes, considerantur, id est, quid benedicendo, quæratur.* Sciendum autem est, in his scientijs coniecturalibus, è quarum numero est Rhetorica, oratorem non semper suum finem assequi, eo quòd coniecturis vtatur. Sententijs, verbisque. *Idem docere videbatur Cicero de Oratore libro secundo scribens. Omnem orationem ex duabus confici rebus, sententijs scilicet, & verbis.*

De vtilitate, dignitateque eloquentiæ. Cap. II.

DIGNITAS eloquentiæ vel ex eo intelligi potest, quòd in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquillisque ciuitatibus præcipuè semper floruit, semperque dominata est. Quid enim aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quàm sapientibus sententijs, grauibusque verbis ornata oratio, & perpolita: aut tam potens, tamque magnificum, quàm hominum animos vnius oratione conuerti? Quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? Oratoris est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia, eiusdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio. Eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari

de Orat. 1.

2. de Ora. Oratoris & in rep. & inter priuatos magna & præclara munera.

tari ad virtutem ardentius? quis à vitijs acrius reuocare? quis vituperare improbos asperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis mœrorem leuare mitius consolando? Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter, comprehendam breui. Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione, & sapientia non solùm ipsius dignitatem, sed & priuatorum plurimorum, & vniuersæ Reipublicæ salutem maximè contineri. Quo maior igitur est eloquentiæ vis, hoc est magis probitate iungenda, summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicēdi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus.

1. de Ora.

3. de Ora.

IN CAP. II.

Dignitas eloquentiæ. *Rectè fecisse auctor videtur (idem etiam de Aristotele sentiebat illius interpres Aphrodisiensis) quòd antequam artis præcepta aggrediatur, huius dignitatem, & vtilitatem ostendere voluerit. qui enim (dicebat ille) fructus, quos capere inde possunt, didicerint, alacriores ad præcepta illa capescenda fiunt.* Semper dominata est. *Athenis hæc inuenta fuit primum: deinde temporibus Demosthenis perfecta, floruit dominantibus, & eiectis triginta tyrannis; Romæque à Lucij Crassi temporibus ad regnum Cæsaris nulla vnquam vehementius, quàm eloquentiæ studia viguerunt.* Quid enim tam iucundum. *Hic ea tangere videtur, quibus finem suum consequitur orator, nempè docendo, delectando, mouendo, primum necessitatis, secundum suauitatis, tertium victoriæ.* Oratoris est in dando. *Vide, quanta dexteritate*

ritate tria illa causarum genera extollat, Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale, de quibus ca. 5 huius lib. agetur. Quis cohortari ad virtutem. *Iccirco Aristoteles tertia quæstione procemij suæ Rheto. probat, decere ipsum Philosophum tractare de arte dicendi, vt qui profiteatur, se scripturum de rebus, adprimè mortalium vitæ vtilibus.*

PROBITATE iungenda. *Hinc est, quòd Aristoteles Rheto. primo & Rhetores illius temporis censebant, mores dicentis, ad fidem faciendam plurimum valere. Idem etiam hanc artem aduersus eos tuetur, qui, eam esse malam, censebant, quòd hac plerique bonis nocerent.*

De materia Rhetoricæ. Cap. III.

ARtis materia est, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, versatur: vt De inuēt. 1. si medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quòd in his omnis medicina versetur. Item quibus in rebus versatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetoricæ nominamus. Sed hoc interest inter alias artes, excepta De orat. 2. Dialectica, & eloquentia, quòd cæteræ ferè artes se ipsæ per se se tuentur singulæ, benedicere autem, quod est scienter, & peritè, & ornatè dicere, non habet diffinitiuam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur. Omnia quæcunque in hominū disceptationem cadere possunt, benè sunt ei dicenda, qui hoc se posse posse profitetur, aut eloquentiæ nomen reliquendum est: materia enim oratori ad dicēdum subiecta, quæstio est.

IN CAP. III.

Morbos, ac vulnera. *Et ferrum materia artis fabrilis, ex quo faber aliquod opus conficit.* Excepta Dialectica, & Rhetorica. *Quæ iccircò artes communes appellantur, quod scilicet omnibus de rebus communiter verba faciant. & differere poßint.* Non habet definitam. *Existimamus, hæc è mente Aristotelis manasse, qui Rhetoricorum primo dicebat, Dialecticam, & Rhetoricam esse artes nullam scientiam definitam habentes, à qua solùm pertractentur, vt (quod docet Aristotelis interpres) exempli gratia, numeri sunt, qui ab Arithmetica, & magnitudinum affectus, qui à Geometria tantùm traduntur. Hic annotare visum est, Rhetoricam duobus modis considerari posse: si secundùm præcepta, quæ continet, consideratur, habebit Rhetorica materiam, nempè ipsa quæ tractat, præcepta: si verò consideretur secundùm res, quibus Rhetoricæ præcepta applicãtur, duplicem habebit materiam, alteram vastam, vagã, & incertam, quæ sunt res oẽs, si quidem Oratoris est de omni re proposita copiosè dicere, alteram verò magis propriam, vt sunt ciuiles quæstiones, & forenses.*

De quæstione. Cap. IIII.

In Part. Topic. QVæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, quod Græci thesin, Cicero propositum vocat: alterum certum, & definitum,
De Ora. 8. quod hypothesin illi, Latini vel causam vel controuersiam solent appellare. Propositum est, in quo aliquid generatim quæritur hoc modo: ex-
Cicer. in petenda ne sit eloquentia? Causa est, quæ certis perso-

personis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur hoc modo: An Socrates iure fuerit ab Atheniensibus damnatus? Propositi duo sunt genera, cognitionis alterum, cuius scientia est finis, vt, an solis magnitudine multis partibus terra superetur: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid, vt si quæratur, quibus officijs amicitia colenda sit. Hæc enim in propositis quæstionibus genera sint, eadem in causas transferuntur. Sed causarum tria sunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis, quæ quia in laudationes maximè confertur, proprium habet ex eo nomen laudationis.

Topic. in Par. Quint. lib. 3. cap. 5.

Causarum genera

IN CAP. IIII.

Quæstionum duo sunt genera. *Duo consideranda esse in omnibus quæstionibus, scire debent adolescentes, nempè id, de quo quæritur, & id, quod quæritur: quo scilicet facilius an infinita, an verò finita quæstio sit, dignoscatur: nam quum id, de quo quæritur, est infinitum, quæstio itidem infinita est & contrà, exemplo hoc sit: An philosopho capescenda respublica sit, de quo quæritur est philosophus, quod quæritur, est respublica: quæ ambo infinita sunt, quæstio etiam erit infinita.* Quod Græci thesin. *Appellatur thesis, Propositum, Consultatio, quæstio infinita. itidem quæstio finita, quæstio ciuilis, hypothesis, Causa, Controuersia: quæ nomina iccirco apposui, ne adolescentium ingenia obtundantur.* Propositum est. *Quam quæstionem interdum ab Oratore Cicero videtur remouere, vt libro primo de Inuentione: interdum illi concedere, vt secundo de Oratore: ex quo facilè apparet,*

ipsum

ipsum in suis scriptis diuersorum scriptorum doctrinam sequutum esse. An solis magnitudine. *In hac enim sola cognitio spectatur, & veritas, qua inuenta animus conquiescit noster.* Proprium habet ex eo nomen. *Valet hoc, à meliori parte laudatiuum, non autem vituperatiuum appellatur.*

De exornatione. Deliberatione, & Iudicio. Cap. V.

IN exornatione duæ sunt partes, laus, & vituperatio. Tempus tum præsens, tum præteritũ. Spectat autem orator honestatem præcipuè cùm laudat, turpitudinem cùm vituperat, mouetque auditores ad delectationem. Deliberatio continet in se suasionem & dissuasionem, tempus verò futurum. Finis quem sibi proponit orator in consilio dando, est vtilitas, & spes, aut reformidatio deliberantis. Iudicium habet in se accusationem, & defensionem: eius finis iustorum, & iniustorum, quæstione sæuitia, aut clementia iudicis continetur.

de Inuen. 1. Ar. lib. 1. Rhet. cap 4. In par. de Inuen. 1. Arist. 1. Rhet. Cic. Part.

IN CAP. V.

De exornatione, deliberatione, & iudicio. *Cur tria præcipuè sint causarum genera, rationem affert Aristoteles Rhet. 1. quòd scilicet auditor, aut spectator est, aut iudex, & iudex aut præteritorum, aut futurorum: qui de futuris iudicat, senator est, qui de præteritis, iudex: qui verò de facultate oratoris spectator est. Vide Quintil. cap. 4. libr. tertij Orator. Instit. Sunt qui plura genera statuant, quæ tamen ad hæc tria facillimè reuocari possunt.* Tempus tum præsens. *Ad genus tamen demonstratiuum accommodari tempus*

pus præcipuè præsens, scribit Aristoteles: nam omnes secundùm ea, quæ præsentia sunt, laudare, aut vituperare, dicebat: tribuit etiam huic generi tempus futurum, quod ex præteritis & præsentibus de futuris possumus coniecturis assequi. Auditores ad delectationem. *Qua potißimùm sectatur auditorum aures.* Tempus futurum. *Antonius tamen secundo de Oratore præteritum etiam tempus deliberatiuo generi attribuit. Hunc tamen falli doctißimus Riccobronus scribit suo commentario in artem Rhetoricam. Demosthenes etiam pro Ctesiphonte aiebat, nullam esse de præterito deliberationem, quoniam, quod iam præteriit, mutari nulla ratione potest.* Finis in consilio dando est vtilitas. *Hæc inprimis, vtpote à qua facilius inflammentur eorum animi, quibus persuadere conamur.* Eius Finis iustorum, & iniustorum. *Intellige, finem iudicialis generis esse æquitatem. Auctor autem tempus huius generis omisit, quod quidem præteritum esse scito: hoc docet Cicero in Partitionibus.* Sæuitia. *Obserua, quinam motus adhibendi sint in vno quoque genere, in Iudiciali Sæuitia, & Clementia: in deliberatiuo Spes, Reformidatio, in Demonstratiuo, delectatio.*

Quomodo hypothesis ad thesin reuocanda sit. Cap. VI.

MAneat ergo, & infinitas, & finitas quæstiones ad oratorem pertinere. Sed est consultatio quasi pars causæ quædam. Inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quare illa pars orationis, quæ est de genere vniuerso, totas causas sæpè continet. Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen

In Part. in Top. Quintilia. 3. c. 5.

men est controuersiæ, quod Græcè κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, vt traducatur ad perpetuam quæstionem, atque de vniuerso genere dicatur, nisi cùm de vero ambigetur, quod quæri coniectura solet. Exempli causa, finita est, An Aristotelis philosophia sit perdiscenda: eius quasi pars quædam est illa infinita: An philosophia sit perdiscenda, ad quam orator finitam transferet. Sunt enim ornatissimæ orationes eæ, quæ latissimè vagantur, & à priuata, ac singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt, & conuertunt, vt hi, qui audiant, natura & genere, & vniuersa re cognita de singulis rebus statuere possint. Itaque orator excellens à proprijs personis, & temporibus, semper si potest, auocat controuersiam. Latius enim de genere, quàm de parte disceptare licèt: vt, quod in vniuerso sit probatum, id in parte sit probari necesse.

Cicer. de orato. 3.

IN CAP. VI.

Sed est Consultatio. *Consultationem intellige, quod superiùs vocauit propositum, id est quæstionem infinitam, quod docet Cicero in Partitionibus. Idem in Oratore vocat perpetuam quæstionem, vagam, late patentem.* Inest enim infinitum in definito. *Id non ita subtiliter intelligendum est, alioqui admirabile videbitur, latiora sub angustioribus contineri. Hoc itaque sic est accipiendum, quæstionem infinitam esse partem finitæ, quia ad probationem finitæ quæstionis infinitæ requiritur: nam specialis quæstio ex infinita, & ex illis rebus, quibus componitur, constat.* Sunt enim ornatissimæ orationes eæ. *Hæc igitur est causa, cur ado-*

adolescentes reuocasse hypothesin ad thesin scire debuerunt, nempè, vt ad generalia stylum suum conuertentes ornatißimas orationes habere poßint.

De partibus Rhetoricæ. Cap. VII.

QVinque sunt partes, & quasi membra eloquentiæ: inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Oportet enim inuenire quid dicas, inuenta disponere, deinde ornare verbis: post memoriæ mandare, tum ad extremum agere. Inuentio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ quæstionem probabilem reddant. Dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio. Elocutio est idoneorum verborum, ad sententiarum inuentionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum, ac verborum, ad intentionem perceptio. Pronuntiatio est, ex rerum, & verborum dignitate, corporis, & vocis moderatio. Nec audiendi quidam, qui, iudicium sextam esse partem, voluerunt: adeò enim tribus primis partibus est permistum (nam nec inuentio sine eo, nec dispositio, nec elocutio fuerit) vt pronuntiationem quoque vel plurimum ex eo mutari putem. Nec inuenisse credendus est, qui non iudicauit. Quod similiter in alijs partibus, quibus iudicium permistum est, existimare debemus. Hinc apparet, eloquentiam rem vnam esse omnium difficilimam, quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum vnaquæque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeat, existimari potest. Sunt igitur quinque Rhetoricæ partes omninò. At inuenire, dispo-nere,

De orat. 2.
De inuēt. I.
De Inuen. I.
Quint. 3. cap. 3.
De Cla. orator.

nere, eloqui, memoria complecti, & pronuntiare opera sunt oratoris.

IN CAP. VII.

Quinque sunt partes. *Quinque quidem partes, tres illæ tamen primæ magis propriæ sunt artis: nam duæ vltimæ à natura magis, quàm ab arte manare videntur. Itaque tum Aristoteles, tum Cicero in Oratore ad Brutum scribit, videndum esse Oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo: sed memoria, & pronuntiatio non sunt posthabendæ, immò nullo modo pspernendæ, nam vt in Bruto scribit Cicero, in quacumque vna claudicaret, orator esse non posset.* Inuentio. *De hac copiosè satis Auctor hoc ipso libro scribit. Interpretes quidam per res veras intelligunt, res necessarias, & prorsus certas: per verisimilia res probabiles, quæ potißimùm ad artem dicendi pertinent: ex quo apparet, Oratori licere aliquid falsi comminisci, quod quidam existimarunt.* Quæ quæstionem. *Statum causæ intellige.* Dispositio est. *Hac parte nullam magis conducere ad victoriam scribit Cicero, tantum scilicet valet ordo in rebus.* Elocutio est. *Verba idonea intellige, quæ sint dilucida, & conuenientia rebus, de quibus agitur. Venit quid nescio in mentem Petro Ramo, vt diceret, solam Elocutionem partem esse Rhetoricæ: inuentionem autem, & dispositionem Dialecticis relinquit: memoriam Iurisperitis: pronuntiationem vero actori Comœdiarum, aut Tragœdiarum: qui quantum à veritate aberret, non faciam, vt nunc ostendam.* Ad sententiarum inuentionem. *Hæc lectio quibusdam magis placet, quàm si legas, ac sententiarum ad inuentionem accommodatio, vt apud Auctorem*

ctorem ad Herennium legitur : Icc irco pars altera, nempè ſententiarum, minimè quibuſdam placet, videtur enim alioquin Eloquentiæ potius, quàm Elocutionis definitio. Memoria eſt firma. *Hæc vt naturæ bonum ſit, arte tamen adiuuatur, quod Cicero Secundo de Oratore docet. De hac auctor in fine lib. tertij.* Et verborum dignitate. *A Cicerone Pronuntiatio Elocutionis comes appellata fuit: videtur enim naturali quadam ſocietate coniuncta: nihil ſi quidem eloqueris vnquàm, niſi pronunciabis.* Vocis moderatio. *Quam primum nobis eſſe optandam, deinde quæcumque erit tuenda, ſcribitur tum libro tertio de Oratore, tum in Oratore ad Brutum.* Nec audiendi quidem. *Fuit hæc Quintiliani ſententia, & optima quidem, nam vt paucis quæſtionem hanc de Iudicio abſoluamus, vt fatendum eſt, ex partibus Rhetoricæ aliam magis eo indigere, quàm aliam, tamen exiſtimandum eſt, iudicium, veluti, ſuccum, & ſanguinem per omnes Eloquentiæ partes diffundi.* NB

Quibus rebus eloquentia comparetur, ac primum de Natura.
Cap. VIII.

ELoquentia, quæ quinque ſupradictis conſtat partibus, natura, arte, exercitatione, & imitatione comparatur. imitationem enim, quamuis Quinctilianus arti, Cicero exercitationi ſubijciat, rectius tamen alij ab vtraque ſegregarunt. Ergo de ſingulis, quoniam maximi ſunt momenti, & ponderis, aliquid dicendum eſt. Natura igitur primum, atque ingenium ad dicendum vim affert maximam: neque verò ſcripto- Quint. 3. c. 5. Cic 1. & 2 de Orat. Auct. ad Heren. 1. de orat.

ribus artis ratio dicendi, & via, ſed natura de-
fuit. Nam & animi, atque ingenij celeres qui-
dam motus eſſe debent, qui ad excogitandum a-
cuti, & ad explicandum, ornandumque ſint vbe-
res, & ad memoriam firmi, atque diuturni: & ſi
quis eſt, qui hæc putet arte accipi poſſe, quod fal-
ſum eſt, (pręclarè enim ſe res habeat, ſi hæc accen
di, aut commoueri arte poſſint: inſeri quidem, &
donari ab arte non poſſunt omnia, ſunt enim illa
dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certè cum
ipſo homine naſcuntur? linguæ ſolutio, vocis ſo-
nus, latera, vires, conformatio quædam, & figu-
ra totius oris, & corporis. Neque hæc ita dico,
vt ars aliquid limare non poſſit, neque enim ig-
noro, & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe do-
ctrina: & quæ optima, aliquo modo acui tamen,
& corrigi poſſe: ſed ſunt quidam, aut ita lingua
hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, mo-
tuque corporis vaſti, atque agreſtes, vt, etiam ſi
ingenijs, atque arte valeant, tamen in oratorum
numerum venire non poſſint: ſunt autem quidam
ita naturę muneribus in ijſdem rebus habiles, ita
ornati, vt non nati, ſed ab aliquo Deo ficti eſſe vi-
deantur. Magnum quoddam eſt onus, atque mu-
nus ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe, omnibus ſi-
lentibus, vnum maximis de rebus, magno in con-
uentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè
nemo, quin acutius, atque acrius vitia in dicente,
quàm recta, videat. Ita quidquid eſt, in quo of-
fenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, ob-
ruit. Neque hæc in eam ſententiam diſputo,
vt homines adoleſcentes, ſi quid naturale for-
tè non habeant, omninò à dicendi ſtudio de-
terream: multis enim honori fuit illa ipſa,
quam-

quamcunque assequi potuerunt, in dicendo mediocritas.

IN CAP. VIII.

Imitationem quamuis Quintilianus arti. *Propterea quòd imitatio sine cognitione artis haud prodest.* Cicero exercitationi. *Cogimur enim si imitari aliquem volumus, sæpius nos exercere, non autem sola cogitatione meditari, quomodo illos imitemur.* Natura igitur primum. *Naturam omnibus in rebus, ne dum in disciplinis percipiendis arti præstare, & in primis spectandam esse, apertè ostendit Cicero in Oratione pro Archia Poeta. idem sentit Pindarus, qui in Olympijs scribit: quod à natura bonum est, totum, id est optimum, & quicquid ex Deo non est, id haud immeritò obticetur: confirmat idem Aristotelis sententia.*

Optimus ille quidem, qui per sese omnia nouit.

Quanquam Quintilianus in Oratore summo plus arti tribuit, quàm naturæ: contrà, in mediocri plus naturæ. Nam & animi, atque ingenij. *De naturali cuiusque ingenio, ac natiua scientia hæc accipe.* Commoueri arte possint. *Quæ (vt etiam vsus) tametsi plurimum efficiat, non tamen cum natura conferri possunt ea, quæ ab arte proficiscuntur: cùm ars sit veluti naturæ filia.*

ADEST enim ferè. *Discit enim citius, meminitq; libentius illud,*

Quod quis deridet, quàm quod probat, & veneratur. Horatius Epistola prima libri secundi.

De Arte. Cap. IX.

In orat.1. De Orat.1. AD naturam optimam ars adiungi debet, quæ à natura profecta eſt. Notatio enim naturę, atque animaduerſio peperit artem. Ego enim hanc vim intelligo eſſe in præceptis omnibus, non vt ea ſequuti oratores eloquentiæ laudem ſint adepti, ſed quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſeruaſſe, atque delegiſſe: ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum, quod tamen non eijcio. Eſt enim ſi minus neceſſarium ad benè dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale. 2. Orat. Habet igitur ars hanc vim, non vt aliquid, cuius in ingenijs noſtris pars nulla ſit, pariat, & procreet: verùm vt ea, quæ ſunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atque confirmet.

2. de ora. Obſeruatio autem earum rerum, quæ in dicendo valent, ipſa per ſe ſi eloquẽtes facere poſſet, quis eſſet non eloquens? quis enim hæc vel non facilè, vel certè aliquo modo poſſet ediſcere? Itaque intelligendum eſt, alia quædam ad cõſequendam eloquentiam eſſe maiora, ſed ars non eſt ea quidem negligenda, quam ego ſi nihil dicam adiuuare, mentiar. Habet enim quædam quaſi ad cõmouendum oratorem, quò quidque referat, & quò intuens, ab eo, quodcumque ſibi propoſuerit, minus aberret. 2. orat. In præceptis enim hanc vim, & hanc vtilitatem eſſe arbitror, non vt, ad reperiendum quid dicamus, arte ducamur, ſed vt ea, quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut praua intelligamus, cùm, quò referenda ſint, didicerimus. Qua de cauſa ſtudioſè Rhetorica colenda eſt, vt quæ viam, & rationem dicendi doceat. Et ſi namque magnis ingenijs præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequantur, ars tamen eſt dux cer-

certior, quàm natura. Quoniam ſine doctrina, etiam ſi quid benè dicitur, tamen id, quia fortuitò fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. Aptiſſimè profectò quod M. Tullius de excellenti virtute ſcripſit, idem ad præſtantem eloquentiam transferri poteſt, vt, multos homines excellenti ingenio, & eloquentia fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu, per ſe ipſos copioſos, & ornatos extitiſſe, fateamur: adiungamus etiam, ſæpiùs ad orationis laudem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam: ſed cùm ad naturam eximiàm atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam, conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolere exiſtere, contendamus. Pro Arch.

IN CAP. IX.

Ad naturam ars adiungi debet. *Vt eius conſuetudine, & ſocietate venuſtior reddatur: poteſt enim ab ea plurimũ adiumenti accipere, notũ illud Menandri.* ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ. *Natura ſuperat omne doctrinæ genus.* Animaduerſio peperit artem *Hoc eſt, propius intuendo homines in naturalem Eloquentiam artem inde conflarunt: nam, vt ait Cicero: Nihil inuentum ſimul, & profectum eſt* Sed quæ ſua ſponte *Videtur hoc velle inferre, quod etiam capite primo ſcripſit: nempè, homines obſeruaſſe, quibus in dicendo quis vſus eſſet: quæ, quòd ipſis dicentibus profuiſſent, ea in artem redegerunt: ſic, Eloquentiam non eſſe ex artificio, ſed artificium ex eloquentia.* Habet igitur ars hanc vim, non vt aliquid. *Non vt ea, quibus à natura deſtituti ſumus (horum autem meminit capite ſuperiori) nobis*

afferat. Verùm, vt ea, quæ ſunt orta. *Perinde, ac ſi quis ager fertilis excolatur à diligenti agricola, plus vtilitatis afferet, quàm ſi ab inerti & deſide.* Obſeruatio autem earum rerum. *Hæc eò ſpectant, vt intelligatur, ſolam artem eloquentes reddere nos non poſſe: ſed natura opus eſſe, à qua ortum duxit ars, & à qua niſi foueatur, vt tenella planta facilè exareſcat, eſt neceſſe.* Quod quique referat. *Vt exempli gratia: facilius in portum is deferetur, qui conſilio, & arte quadam vela expandere, eademque contrahere, cùm opus fuerit, nouerit, quàm ſi quis temerè nauiget.* Aut recta eſſe confidamus. *Hæc facilius apparebunt, quum ſcilicet de exordijs, reliquiſque orationis partibus præcepta tradentur: nempè quando vtendum, aut non vtendum exordio, narrationéve, fuerit.* Vt quæ viam, & rationem dicendi doceat. *Sine quibus tria illa, quibus eloquentia paratur, plurimum interdum nocent, nunquàm prodeſſe poſſunt.*

De exercitatione. Cap. X.

IN præſtanti natura, quam ars expoliuit, exercitatio abſolutionem, perfectionemque dicendi conſummat. (1. de Orat.) Quocircà intereſt per magni, ſtudium, & ardorem quendam amoris aſſumere, ſine quo cùm nihil quicquam egregium, tum certè eloquentiam nemo vnquàm aſſequetur. Ex hoc ardore naſcitur exercitationis diligentia, vt cauſa aliqua poſita conſimili cauſarum earum, quæ ad oratorem deferuntur, dicamus quàm maximè ad veritatem accommodatè. Sed plerique in hoc vocem modo, neque eam ſcienter, & vires exercent ſuas, & linguæ celeritatem inci-

incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, vt dicant, efficere solere. Verè enim etiam illud dicitur, peruersè dicere homines peruersè dicendo facillimè consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, & si vtile est etiam subitò sæpè dicere, tamen illud vtilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius, atque accuratius dicere. Caput autem est: quod, vt verè dicam, minimè facimus: est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quàm plurimùm scribere. Stylus optimus est, & pſtantissimus dicendi effector, ac magister, neque iniuria: Nam si subitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facilè vincit, hanc ipsam profectò assidua, & diligens scriptura superabit. Iam vocis, & spiritus, & totius corporis, & ipsius linguę motus, & exercitationes nō tam artis indigent, quàm laboris. Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quàm plurimis, & nostris scriptis, & alienis: atque in ea exercitatione non sanè mihi displicet adhibere, si consuetis, etiam istam locorum, simulacrorumq; rationem, quæ in arte traditur.

IN CAP. XI.

In quo fallit eos. *Videtur hoc dicere: existimant, effici se posse Oratores dicendo, illud nescientes, peruersè dicendo facilè consequi posse, vt peruersè dicant: hoc est, vt Oratoris nomine digni non sint.* Sumpto spatio ad cogitandum. *Ferunt, Demosthenem numquàm, nisi præmeditatum dixisse: iccirco Pytheas dicebat, Demosthenis Enthymemata lucernam olere.* Stylus optimus dicendi effector. *Natum à veterum scribendi more: qui stylo, hoc est instrumēto ferreo,*

in ceratis tabulis scribere consueuerant: altera huius instrumenti parte delebant, in scriptis si quid minus placeret, vnde illa dicendi formula manauit: Sæpe stylum vertas. Iam vocis, & spiritus. *Annota, Exercitationẽ triplicem esse, aliã orationis, aliã actionis aliam memoriæ.* Etiam istam locorum, simulacrorumque rationem. *Artificialem memoriam intelligit: de qua plerique scripserunt. Sed nisi adsit naturalis, profectò parùm poterit artificialis. quamobrem non immeritò Aristoteles Rhetoric. primo memoriam inter animi bona, quæ à natura donantur, recenset.*

De imitatione. Cap. XI.

1. de Orat. ETSI ad illud genus oratorum præstantium magnificum, atq; prçclarum natura aliquem ducat, tamen ea non satis proficere potest, nisi eodem studio, atque imitatione intendat, atque ita dicere consuescat, vt tota mente illos, atque omni animo intueatur. Ergo hoc sit primum in præceptis meis, vt demonstremus, quem imitemur, atque ita, vt, quæ maximè excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissimè persequatur. Nihil enim aliud causæ est, cur ætates extulerint singulæ singula propè genera dicendi, nisi quòd semper fuit aliquis, cuius se similes plerique esse vellent. Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris, atque magnis, tum scribendo maximè persequatur. Intuendi sunt etiam non solùm oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem, prauitatemque veniamus. Quoniam de Rhetoricæ definitione, dignitate, fine, officio, & materia dictum est,

quotque

quotque sint eius partes, explicauimus, & naturã, artem, exercitatiõem, imitationem ad eloquentiã consequendam, necessaria esse ostendimus, sequitur, vt de singulis eius partibus differamus.

IN C. XI.

Ergo hoc sit primum. *Rationem imitandi hoc ostendit: vt exempli gratia, si quis in Poetica, aut Oratoria facultate excellere voluerit, is sibi ex Comicis Plautum, & Terentium: ex Epicis Virgilium deliget: atque quid in vnoquoque eorum excellat, id exercitatione imitabitur: quod etiam de Oratoribus dictum velim. Quocirca hortarer adolescentes, vt quæ à Bartholomæo Riccio, & Bernardino Parthenio de Imitatione doctißimè sunt scripta, ea attentè legerent.* Sed etiam actores. *A quibus gestus in pronuntiando discere poßimus: hinc autem apparet, duplicem esse imitationem, alteram Orationis, alteram actionis: vt sanè aliquando exuenda sit exercitatio vmbratilis, & in aciem prodeundum, ne Oratores muti videamur.* Quoniam de Rhetoricæ definitione. *Breuis repetitio rerum hactenus expositarum, quibus expositis, attentionem ad reliqua sibi parat.*

De Inuentione. CAP. XII.

QVoniam igitur primum oratoris munus est inuenire, dabit operam, vt inueniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat. Fidem facit orator argumentis, mouet incitando, aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem: tot enim sunt motus genera, partes plures generum singulorũ. Cum enim omnis animæ commotio ex opinione In part.

boni alicuius, aut mali nascatur, lætitia, & cupiditas ex opinione boni nascuntur: ægritudo, & metus in malorum opinione versantur. Est igitur ægritudo, siue molestia, opinio recens præsentis mali, in quo demitti, contrahique animo rectum esse videatur. Voluptas, opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum videatur. Metus opinio impendentis mali, quòd intollerabile videatur. Cupiditas, opinio venturi boni, quod sit ex vsu iam præsens esse, atque adesse. Opinio autem, quæ in omnes superiores definitiones includitur, est imbecilla assensio. In proposito fidem solùm facit orator, in causa verò fidem & motum, de quo mox dicemus.

Cic. Tus. 4.

IN CAP. XII.

Primum oratoris munus. *Ipsa enim inuentio ad vsum potior est, & ordine naturæ certè prior: nam neque Disponere, neque Eloqui vnquam poteris, nisi prius inueneris.* Quemadmodum fidem faciat. *Quemadmodum, vt ait Antonius secundo de Oratore, probemus, ea esse vera, quæ defendimus. Has probationes (quòd ex substantia sint) quum nonnulli in suis scriptis omisissent, deque his nullam mentionem fecissent, asserebat Aristoteles in Proœmio in Rhet. imperfectè scripsisse de hac arte, & idcircò se de hac ipsa ad perfectè scribendum impulsum fuisse.* Fidem faciat. *Fides hoc loco accipitur pro persuasione: quæ argumentis fit, consideratur enim hic, vt opinio quædam, quæ gignitur in animis nostris argumentis plerumque probabilibus: si quidem effectus Eloquentiæ est audientium approbatio.* Et quemadmodum motũ eorum animis afferat. *Id est, quemadmodum audientium animos ad quemcũ-*

que, quem causa postulabit, motum voces: nempè ad eos, quos hic infra nominat: Has animi affectiones, & perturbationes nequaquam ipsius rei proprias esse, sed ad mouendum iudicem pertinere, affirmabat Aristot. in Procemio Rhet. ne verò quid te fallat, legendus est idem, qui de Affectibus Rhe. secundo fusius scribit. Tot enim sunt motus genera, partes plures. *Hoc dicit. Sub hæc quatuor genera, cætera omnia cadere: vt sub voluptatem cadit gaudium, lætitia, maleuolentia, delectatio, iactatio: Sub molestiam, inuidentia, obtrectatio, æmulatio, misericordia, angor, luctus, mœror, dolor, lamentatio, solicitudo, desperatio: Sub metum, formido, conturbatio, examinatio, tremor, timor, pudor, pigritia: Sub cupiditatẽ, ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium.* Voluptas opinio recẽs boni præsentis. *At voluptatem quoque percipi ex recordatione rerum præteritarum, ac spe futurorum, docet Aristoteles Rhet. primo: id certè ostendit Cicero in Oratione pro Archia Poeta, cum inquit: nunc quidem cogitatione, speq; delector, &c.* In causa verò fidem & motum. *Idq; iure præstandum est: nam quum finita, quæstio magis propria oratoris sit, quàm infinita, quò facilius finem suum consequatur Orator, dabit operam, vt poßit flectere iudicum animos: id quod minus necessarium est in quæstione infinita.*

Quid inuentio, quid argumentum, & argumentatio. Cap. XIII.

INuentio est excogitatio argumenti. Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem: vel aliter, est ratio rei dubiæ faciens fidẽ. Fides verò est firma opinio, vt si velis fidẽ facere,

elo-

eloquentiam esse expetendam, excogitesque illud argumentum, nimirum esse artem benè dicendi, possis hoc modo argumentationem concludere. Ars benè dicendi est expetenda. ea est eloquentia: est igitur eloquentia expetenda. Est autem argumentatio, argumenti explicatio, qua dialectici pressius, & religiosius, oratores ornatius, & liberius vtuntur. Locus autem est sedes argumenti. Aristoteles enim proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationẽ inueniretur. Qui nihil aliud esse videntur, quàm notæ quædam, quibus admonemur, quid in ipsis peruestigare debeamus.

In Topic.

IN C. XIII.

Inuentio est argumenti excogitatio. *Id est, alicuius inuenti, seu medij, vt loquuntur Dialectici, quo aliqua proposita quæstio probari potest hinc apparet, verùm illud esse, quod in Partitionibus scribit Cicero: Vim scilicet Oratoris esse in rebus, & verbis: & rerum esse propriam inuentionem, ad eamque collocationem referri, verborum autem Elocutionem.* Argumentum est probabile. *Vt intelligas, quid sit probabile inuentum scire debes: argumentorum tria esse genera, vnum necessarium, probabile alterum, tertium verò captiosum: cuius Gellius lib. 6. capite 2. meminit: Primum proprium est Philosophorum, secundum Oratorum, tertium Sophistarum. Illud Oratorum est, quod ferè fieri solet, quodque in opinione positum est: atque hoc vnum Oratori Cicero in Partitionibus, vnde hæc sumpta sunt, attribuere videtur.* Argumentum. *Quidam dici volunt argumentum ab arguendo: arguere si quidem significatione quadam valet probare, & ostendere: exponunt*

nunt etiam u iuentum probabile, id est inuentam rationem probabilem, quæ ſcilicet huiuſmodi ſit, vt credi poſſit. Eſt autem argumentatio. *Libro primo de Inuentione Argumentatio pro argumento nominatur: propterea quod Argumentatio eſt & genus & forma: itaque ſub argumentatione ponitur argumentum, quemadmodum ſub adoptione, arrogatio, & adoptio. Vel dic cum Boetio. Argumentatio eſt argumenti per orationem explicatio: & vt tironibus conſulamus, dicam: argumentum eſſe veluti corpus, argumentationem autem eſſe tanquam veſtem, & ornatum.* Oratores ornatius & liberius. *Quod horum proprium ſit, res alioqui nudas ornatu verborum illuſtrare: idcirco dialecticus inuenit, quæ à doctis admittantur, oratores, quæ à multitudine recipiantur: quare totus in hoc eſt, vt eorum animos commoueat.* Ad omnem diſputationem. *Ad omne genus cauſæ: de quibus Cicero in Topicis: & ipſe Ariſtoteles Rhet. primo ſcribit. vbi loci ad laudandum, ad ſuadendum, ad accuſandum traduntur, & id ſe feciſſe repetit initio ſecundi lib.*

Quotuplicia ſint argumenta.
CAP. XIIII.

ARgumenta partim in eo ipſo, de quo agitur, hęrent, quocirca inſita dicuntur, partim extrinſecùs aſſumuntur, quæ remota vocantur, quoniam abſunt, longeq́ue ab eo, de quo agitur, diſiuncta ſunt, vt ſi dicas eloquentiam eſſe expetendam, quod benè dicendi ſit ars, ratio eſt inſita, in eo, de quo agitur, eloquētia enim eſt ars benè dicēdi, ſin expetendam dicas, quod Ariſtoteli, vel Ciceroni, vel Platoni ita viſum ſit, ratio erit remota, auctoritas enim illorum virorum non eſt in ipſa eloquentia

In Top. in part.

quentia, quæ ſuaptè natura eſſet expetenda ſine illorum commendatione.

IN CAP. XIIII.

Argumenta partim in eo ipſo, de quo agitur. *Hoc illud eſt, quod Ariſtot. Rhet. primo ſcribit: perſuaſionem alias eſſe ſine arte, alias artificiales: ſine arte illæ ſunt, quæ non à nobis excogitantur: artificioſæ verò, quas ratione, ac via excogitamus.* Quocirca inſita dicuntur. *Appellantur inſita, inhærentia, artificioſa.* Vt ſi dicas Eloquentia. *Vel, Iuſtitia laudabilis eſt, quia eſt cõſtans, & perpetua volũtas ius ſuum vnicuiq; tribuendi, hoc argumentũ eſt in rei ſubſtãtia, cõuertitur enim inter ſe: Quæuis voluntas ius ſuum cuique tribuendi.* Sin expetendam dicas. *Quæ extrinſecus aſſumũtur, ea maximè ex auctoritate ducuntur, & in teſtimonijs poſita ſunt: quidam addunt aliud quoddam genus, quod cum rei ſubſtãntia coniungunt, vt ſi dixeris: Cum laudabile ſit, Rempublicam, regna, imperiaq; conſeruare, laudabile etiam eſſe, Iuſtitiam conſeruare: hoc argumentum erit à re, quæ rationem virtutis habet, & cum illa coniuncta videtur: non tamen inter ſe conuertuntur, non enim totum cum ſua parte, nec pars cum ſuo toto conuertitur: vt nec genus cum aliqua ſua ſpecie, nec hæc cum ſuo genere.*

De numero locorum. Cap. XV.

LOci, vnde argumenta inſita eruuntur, numero ſunt ſedecim: alia enim ducuntur à definitione; alia à partium enumeratione; alia à notatione; alia coniugata coniugata appellantur; alia

lia ex genere; alia ex forma; alia ex similitudine; alia ex adiunctis; alia ex antecedentibus; alia ex consequentibus; alia ex repugnantibus; alia ex causis; alia ex effectis; alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. Argumenta, extrinsecus assumpta, Quinctiliano sunt sex, præiudicia, fama, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes.

In Top. in part.

Lib. 5. c. 1.

IN CAP. XV.

Argumenta extrinsecus sumpta. *Ca. 29. Cum de argumentis remotis agemus, Aristotelis opinionem de locis assumptis afferemus.*

De Definitione. CAP. XVI.

DEFINITIO est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit: vt Virtus est recta animi affectio, Rhetorica est doctrina dicendi. Definitionum multa sunt & genera, & præcepta, sed ad huius libri institutum ea nihil pertinent: tantùm est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt. Cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum alijs communia, eo vsque persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit, vt hoc, Rhetorica est ars, commune adhuc, multa enim genera sunt artium, vt Grammatica, Dialectica; vnum adde verbum, dicendi, iam à communitate res disiuncta videbitur, vt sit explicata definitio; Rhetorica est ars dicendi. Hæc facultas definiendi debet esse in eloquente, vt definire rem possit. [Est enim explicanda sæpè verbis mens nostra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiẽdo aperienda est. Definitio enim quasi inuolutũ euoluit id, de quo quæritur.

In Topic.

In Topic.

In Orat.

Sed

Sed id orator non faciet tam preſſè & anguſtè, quàm in illis eruditiſsimis diſputationibus fieri ſolet: ſed cum explanatiùs, tum etiam vberius, & ad commune iudicium, popularemq́ue intelligentiam accommodatius, Sic Cicero, qui ſint optimates, definit, cum ait, Sed genus vniuerſum (vt tollatur error) breui circumſcribi, & definiri poteſt. Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Argumenti à definitione talis eſt formula, Ius ciuile eſt æquitas, conſtituta ijs, qui eiuſdem ſunt ciuitatis, ad res ſuas obtinendas, eius autem æquitatis vtilis eſt cognitio, vtilis eſt ergo iuris ciuilis cognitio. Sæpè etiam definiunt & oratores, & poetæ per translationem verbi ex ſimilitudine cum quadam ſuauitate, quos licèt imitari, vt ſi adoleſcentiam florem ætatis, ſenectutem occaſum vitæ velis definire.

Pro Seſtio.

In Topic.

IN CAP. XVI.

Definitio eſt oratio. *In Oratore ad Brutum ſic. Definitio eſt oratio, qua, quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quam breuiſsimè: id verò fit per ſubſtantialia, ſiue eſſentialia, vt logici loquuntur, id eſt genus, & differentiam.* Definitionum multa ſunt genera. *Species octo enumerat in Partitionibus, tria in Topicis.* Sic igitur veteres. *Illud ſcire iuuerit, definitionem conſtare debere genere & differentia, quæ, vt iam dixi, ſola dicuntur rei eſſentialia. Verba autem hæc : Cum ſumpſeris : modus iſte definitionis Ariſtotelis verbis expoſitus eſt à Cicerone in Topicis.* Cum alijs communia. *Ioachimum Perionium vide Dialecticæ ſuæ libr. 2. ca. 6. Vide etiam à Fonſeccam.* Vt hoc, Rethorica.

Illa

Illa definitio egregiè ornata est, quæ lib.1. de legib extat. Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, plenum cõsilij, & rationis, quod hominem vocamus. Simili quoque vtitur Demosthenes contra Aristogitonem Oratione prima, cùm dicat: legem esse inuentum, & donum Dei: hominum sapientum decretum: errorum correctio: quod genus definitionis inferius vocat, à conglobatis definitionibus. Definiendo aperienda est. *Hoc mirificè causam, à nobis tuendam, iuuat: exposita enim definitione rei, de qua dubitatur, iudici mens aperitur, & facilius orator finem suum consequitur.* Omnes Optimates sunt. *Alteram Optimatium definitionem si quæris, orationem pro P. Sextio lege.* Ius Ciuile est. *Hoc argumentum ad hanc quæstionem accidentis adhibetur: Sitne vtilis iuris Ciuilis scientia. Locus hic valet ad confirmandum, & refellendum: in quo duo obseruanda: Primum, quod definitioni conuenit, rei etiam, quæ definitur, conueniet: &, quod non conuenit definitioni, nec rei, quæ definitur, conueniet: Alterum, cui definitio attribuitur, ei etiam rei, quæ definitur, & in quod definitio non cadit, in id etiam res, quæ definitur, non cadet necessariò.* Adolenscentiam florem ætatis. *Virgil. lib. 7. Aeneid. Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus.*

De partium distributione. Cap. XVII.

ARgumento à partium distributione sic est vtendum, nullam vt partem relinquamus. Vt si velis probare, calliditatem non esse virtutem, à virtutis partibus, quæ quatuor sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia sic probare possis. Omne quod honestum est, id quatuor partiũ ori-

In Topic.

In Offi. 1.

oritur ex aliqua, aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum vnicuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi, inuictique magnitudine ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia, calliditas ex nulla illarum partium oritur, non eſt igitur virtus.

IN CAP. XVII.

Argumento à partium diſtributione. *Scire debent iuuenes, quæ ſint partes: dicuntur igitur partes, in quas totum diuiditur, ſiue formæ ſint, ſiue partes: hoc dico, quia cùm Cicero alibi ſecreuiſſet formas à partibus, in libris tamen de Oratore ipſas formas, ſeu ſpecies, partes appellat.* Diſtributione. *Qua eſt diſtinctio totius in partes: totum eſt, quod partes continet: hæ verò, vt dixi, à toto continentur. Nolo autem ignorare adoleſcentes, diſtributionis, & definitionis argumenti tantam vim, & facultatem eſſe, vt diſciplinarũ pertractationem penè ſolæ complectantur.* Argumentũ à partium diſtributione. *Argumentum à partium enumeratione eſt id, quod ex eadem partitione tractum eſſe dicimus. hoc pacto, Si prudens in deligendis militibus, ſi laboris patiens fuit, ſi ſciens in diſtribuendis aciebus, ſi audax in inuadendis hoſtibus, ſi fortis in pugnando, ſi victoriam reportauit, ergò præſtantiſsimus fuit Dux. Hoc vſus eſt Cicero in Oratione pro lege Manilia, dum probare vult, Pompeium claſsi præficiendum eſſe, quòd in illo eſſent omnia, quæ in perfectiſsimo Duce requiri poſſunt: addam hoc etiam in gratiam diſcentium: Si fundamenta, & parietes, & tectum habet, & habitationi ſit locus, domus eſt: nam ſcire de-*

re debemus, positis omnibus partibus integrantibus, poni & totum: vt etiã sublata quacunq; parte integrante, tollitur totũ. Vide Petrum Fonsecam Dialect. lib. 7. cap. 17 vbi, quot sint totius genera, docet. A virtutis partibus. *A specierum enumeratione arguit Cicero in Oratione pro M Marcello, dum negat, neminem superesse, qui ausus esset coniurare contra Cæsarem. vide locum à remotione partium idem arguit in Oratione pro Rabirio, Perduellionis reo: Atqui videmus, hæc in rerum natura tria fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere mortis erat instar turpißima: cum Saturnino esse, furoris, & sceleris: Virtus, & honestas, & pudor cum Consulibus esse cogebat.* Non est igitur virtus. *Argumẽta à partiũ distributione, à Notatione, à Coniugatis, à Definitione, argumenta sunt ex ijs, quæ à duodecim alijs argumentis oriũtur, de quibus posteà. Ideò rectè fecisse visus est Petrus Ramus, qui in sua Dialectica prius de duodecim agit, subinde de ijs, quæ iam dixi, quatuor.*

De Notatione. Cap. XVIII.

ETymologia, quæ verborum originem inquirit, à Cicerone dicta est Notatio. Ea sæpè vtuntur Oratores, & Poëtæ, vt Ouidius, *Quinct. 1. c. 6. in Topic.*

A senibus nomen mite senatus habet. Et: *Fast. 1.*

Nam quia ver aperit tunc omnia, densaq; cedit
Frigoris asperitas, fœtaq; terra patet.
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

A notatione sumitur argumentum, cùm ex vi nominis elicitur, hoc modo, Si consul est, qui consulit patriæ, non igitur Piso consul, qui eam euertit. *Fast. li. 4. In Pison.*

IN CAP. XVIII.

Etymologia. *Quæ est nominis interpretatio, id est, nominis minus noti, per aliud, magis notum explicatio. Sciendum autem est, à propria interpretatione, & significatione nominis ad nomen, & à nomine ad propriam interpretationem, & significationem valere argumentum affirmans, & negans: vt, si sapientiæ amor decet hominem, ergò & philosophari: quòd si philosophari decet hominem, ergò & sapientiæ amor.* A Cicerone dicta est Notatio. *Nomina siquidem sunt rerum notæ. dicitur etiam veriloquium: à Notatione autem est, quoties ex nota aliqua rei, quæ est dubia, capitur argumentum* Aprilem memorant. *Ex hoc: si Iupiter à iuuando dictus est, cur ergò nocet? Oratores interdum ex hoc loco desumunt iocos, & sales, quibus perstringunt aduersarium. vt Cic. Philip. 2. & in Oratione pro Sex. Roscio.* Qui eam euertit. *Et lib. 2. de Orat. Si consul est, qui consulit patriæ, quid aliud agit Cosinius? Contrarium videtur illud, quod in oratione post reditum legitur de Gabin. & Pisone. Respub. sine consulibus esset, neque solùm parentibus perpetuis, verùm etiam tutoribus annuis orbata esset. Non erit autem inutile, admonere adolescentes, huius loci argumenta firmiora sumi ex nominibus appellatiuis, quàm ex proprijs: ex ijs tamen quaudoque sumuntur, quum scilicet vocabula diuinitùs imponuntur: vt si Iesus Saluatorem significat, ergò Iesus saluabit populum.*

De coniugatis. Cap. XIX.

In Topic. COniugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno variæ commutantur, vt sapiens, sapienter, sapientia. Ex hac verbo-

verborum coniugatione huiusmodi argumento vsus est.

Ouidius:

Aurea nunc verè sunt sæcula, plurimos auro
Venit honos.

Et Iuuenalis:

Summum crede nefas animam præferre pudori, Sat. 8.
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Cicero etiam: Cùm enim esset omnis causa illa mea consularis, & senatoria, auxilio mihi opus fuerat, & consulis, & senatus. In Pisonem. Est & illud elegans in primis, Homo sum, humani nihil à me alienum, puto. Teren. in Heaut. Cicero libr. de Oratore 2. hoc vtitur exemplo, Si pietati summa tribuēda laus est, debetis moueri, cùm Q. Metellum tam piè lugere videatis.

IN CAP. XIX.

Coniugata dicuntur. *Coniugata nomen istud acceperunt, quod ipsa vocis similitudine, sub vnum iugum sunt deuincta, ait Rodulph. Agric. cap. 10. lib. 1. Annotandum autem est, vt idem scribit eodem cap. Aristotelem coniugatis addidisse, quæ casus vocauit: quæ quidem Aristotel. disputatio tametsi obscura sit, eò tamen spectare videtur, vt quæcunque ab vno aliquo principali nomine fluant, ea omnia vnà cum nomine illo principali coniugata dicantur: vt Sapientia, sapiens, sapere, sapienter: Casus verò sola ea dicuntur aduerbia, quæ à nomine principali descendunt, vt à doctrina doctè, à prudentia prudenter, à fortitudine fortiter.* Causa illa mea consularis. *Hic est à coniugatis ex adiuncto ad subiectum.* Homo sum humani. *Hic est ex subiecto ad adiunctum: quippe homo subiectum humanitatis. Ex coniugatis autem valet argumētum ab vno ver-*

bo coniugato ad aliud verbum, sibi coniugatum, affirmatiuè, & negatiuè. In hoc capite duo annotanda occurrunt: primum, ne propter vocis cõiunctionem, quod coniugatum non est, pro coniugato accipiatur (in coniugatis enim scire debemus, maiorem esse significationem, quàm vocis coniunctionem) vt officiosus pro coniugato officio: cùm officio coniugatum, sit studiosus, vel industrius: deinde, ne ambiguitate vocabulorum decipiamur, vt si dicas: Homo sum, ergò humana tantum curare debeo, quod falsum est, dictio enim humana non ea, quæ ad hominem pertinent, significat, sed terrenas res.

De genere, & forma. Cap. XX.

De Ora. 1. GEnus est, quod sui similes comunione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes, quas genus amplectitur, formæ dicuntur. vt, Virtus est genus, plures enim formas, quatuor scilicet complectitur, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, quæ sunt similes virtutis communione, vt prudentia enim, sic iustitia, sic fortitudo, sic temperantia virtus est. Hinc perspicuum fit, quid sit forma, est enim pars generi subiecta. Argumentum à genere sic tractatur, Virtutis laus
De Ora. 1. omnis in actione consistit, prudentiæ igitur laus
Off. 1. Argu. à genere. omnis in actione cõsistit. Ex forma autem, Quod iustitia est, vtique virtus est.

IN CAP. XX.

Quinct. 5. c. 10. Genus est. *Ita lib. 1. de Inuentione definitur. Genus est, quod plures partes complectitur.* Specie autẽ differentes. *Specie differentia dicuntur, quæcunque sub diuersis continentur speciebus, vt Alexander, & Bucephalus, scilicet Alexander sub homine, Bucephalus sub*

ſub equo continetur. Sed ſciendum, ſpecie etiam differentia dici ipſas inter ſe ſpecies, tametſi vnius generis ſpecies ſint, vt homo, leo, bos, equus, atque hoc modo ſpecie differentes intelligendæ ſunt hæ virtutes, quas hic poſuit auctor. Eſt enim pars generi ſubiecta. *Quam definitionem poſuit Ioannes Cæſarius in ſua Dialectica.* Argumentum à genere ſic tractatur. *Omnium animantium eſt, vt ſe, ſuumq́; corpus tueatur, hominis igitur eſt, ſe ipſum tueri.* Quod iuſtitia eſt. *Quod homo eſt, vtique animal eſt, Sed non ignorandum eſt, Genus ad probandam ſpeciem minimum valere, ad refellendum plurimum nam ſublato genere, tollitur & ſpecies: vt ſi non eſt virtus, iuſtitia non eſt: contrà, ſi genus affirmes, non protinus ſpeciem affirmabis: non enim ſequitur, iuſtitiam eſſe, ſi eſt virtus, à ſpecie dupliciter argumētum ſumitur, nam vnius confirmatio vel eſt alterius refutatio, vt homo eſt, ergò bellua non eſt: vel eſt generis approbatio, vt ſi iuſtitia eſt, ergò virtus eſt.*

De ſimilitudine, & diſſimilitudine. Cap. XXI.

SImilitudo eſt, quæ traducit ad rem quampiā aliquid ex re diſpari ſimile: ex ea ſumitur argumentum hoc modo. Cicero, ſed nimirùm vt quidam morbo, & ſenſus ſtuporis ſuauitatem cibi non ſentiunt, ſic libidinoſi, auari, facinoroſi veræ laudis guſtum non habent. Aut. ad He. l. 4. Phil. 2.

Ouidius,

Scilicet vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum, Triſt. li. 1. eleg. 4.
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Ex diſſimilitudine, ſiue differentia ducitur hoc modo argumentum,

2.de Ora. Si Barbarorum est, in diem viuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.

IN CAP. XXI.

Similitudo est. *Dicitur etiam proportio, & reperta est ad inferendum rebus lucem: vt ait Quintilianus. Docet autem Rodulphus Agrico. cap. 25. lib. 1. omnium locorum, è quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minus virium esse contra renitentem auditorem, quàm similitudini, ad eum verò, qui spontè sequitur, docendùmq; se præbet, accommodationem nullam esse: Itaque sæpè ab Oratoribus, à Poëtis sæpiùs adhibetur.* Sumitur argumentum. *Exemplum ex oratione post reditum ad Quirites. Sed tanquàm bona valetudo iucundior est eis, qui è graui morbo recreati sunt, quàm qui nunquàm graui corpore fuerunt: sic cætera fortunæ bona desiderata magis, quàm aßiduè percepta, delectant. Sciendum autem est, à similitudine valere argumentum, & affirmatiuè, & negatiuè: à dißimilitudine autem non valet argumentum, nisi neges.* Sed nimirùm vt quidam morbo. *Similitudo hæc est disiuncta: nam quatuor termini re ipsa distinguuntur: vt ægri ad cibi suauitatem, sic auarus ad laudis gustũ. Sciant adolescentes, Similitudinum tres esse species: Inductio, Collatio, & Exemplum. Inductio, si tutor fidẽ prostare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Collatio, si feræ partus suos diligunt, quâ nos in liberos nostros indulgentia esse debemus? Exemplum: Iure occisus est Saturninus, sicut & Gracchi.* Si Barbarorum. *Et tertia Philipp. Certus autem dies, non vt sacrificij, sic consilij expectari solet. Hoc in loco duo cauenda sunt: primùm, ne omninò*

ninò dißimilia pro similibus assumantur: Secundum, ne similitudo sit obscurior, quàm res postulat. Cæterùm, vsus huius loci duobus pronunciatis traditur. Quod in vno similium valet, valet & in cæteris: quod non valet in vno, nec in cæteris. Exempli gratia: Corpus regitur oculis, ergò animus mente gubernandus.

De Contrarijs. Cap. XXII.

CONtrariorum genera sunt quatuor, aduersa, priuantia, quæ inter se conferuntur, & contradicentia. Aduersa sunt, quæ in eodē genere plurimum differunt, vt virtus, vitium, quę cùm animi habitus sint, plurimùm tamen inter se differunt: & bellum, pax, sapientia, stultitia, ex quibus argumenta talia existunt. Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur, & bonitatem, si malitiam. Hinc illud Drancis apud Virgilium: Aristo. in in c. de op pos. Cic. in Topic. Topic. Lib. II.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

perinde enim est, atq; hoc: Bellum est nobis perniciosum, pax igitur expetenda est. Cicero, Quid cùm fatentur, satis magnam vim esse in vitijs ad miseram vitàm, nónne fatēdum est, eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Priuantia sunt habitus, & eius priuatio, vt lux tenebræ, vita mors, scientia inscitia, humanitas inhumanitas: præpositio enim, in, priuat verbum ea vi, quàm haberet, si, in, præpositum non fuisset. Ex his dictum est illud Cic. in Miloniana, eius igitur mortis sedetis vltores, cuius vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis? Tertio loco sunt ea, quę inter se conferuntur, vt duplum, simplum, datum acceptum, miles & Imperator, docere & discere. Tuscul. 5. Topic. Pro Milo.

Pro Marcello. Ex hoc loco est illud Cicer. ex quo profectò intelligi debet, quanta in dato beneficio sit laus, cũ in accepto tanta sit gloria. & item hoc. Non igi- In Orat. tur periculum est, ne quis putet, in magna arte & honesta, turpe esse docere alios, quod ipsis fuerit honestissimum discere. Huc pertinet Vergi- Lib. 8. lianum illud,

Arma rogo genitrix nato.

Topic. Vltimo loco sunt negantia, valdè contraria aientibus: vt, si hoc est, illud non est: ex quibus necesse est, alterum verum esse, alterum falsum.

IN CAP. XXII.

Contrariorum genera. *Contrària sunt dissentanea, quæ ratione, & re dissentiunt, ideoq; simul esse non possunt. Quæ verò hic contraria dicuntur, Boëtius, commodius opposita dici posse, putat: Sunt, qui diuersa, vocent, vtcumque autem vocentur vt testatur Rodulphus Agricola, haud multum interest.* Vt virtus vitium. *A contrario ad aliud contrarium, inter quæ nullum est medium, valet argumentum cum propositione affirmatiua. & conclusione negatiua, vt si sanus est ergò non æger: & contrà, non est æger, ergò sanus Hic, vides, oppositorum altero affirmato, alterum negari: ergò contraria* φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων ἐναντία, *id est, corruptiua esse inter se opposita.* Priuantia sunt habitus. *Est autem priuatio defectus alicuius in eo, quòd id natura est habere: vt, cæcitas est defectus visus, non in quouis (nec enim lapis cæcus dicitur) sed in eo, quod natum est videre. A priuatiuo profectò ad aliud valet argumentum cum propositione affirmatiua, & conclusione negatiua, vt, viuit, ergò mortuus non est: & cum propositione negatiua, & conclusione affirmatiua, vt nõ viuit,*

uit, ergò mortuus est. Lux, tenebræ. *Loquax, mutus, audiens, surdus.* Præpositio enim, in. *Hoc semper verum est: nam videns, cæcus, audiens, surdus, loquens, mutus, priuantia quidem sunt, quibus tamen, in, præpositio non adiungitur.* Quæ inter se referuntur. *Hæc semper ad alterum respiciunt, simulq; sunt natura. Ab Aristotele dicuntur ad aliquid: dicuntut etiam relata: atque ea sunt, quæ cum hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur: vt seruus, domini dicitur seruus. & dominus, serui dominus. Quamobrem ex hoc loco argumentum & affirmans, & negans valebit: vt dominus est, ergò illi est seruus: & contrà, non est dominus, ergò illi non est seruus.* Non igitur periculum est. *Hæc Cicero dixit cùm reprehenderetur à quibusdam, quòd tot rebus gestis scriberet de artificio dicendi* Vltimo loco sunt negantia. *Contradicentia enim dicuntur, vt sedere, non sedere. Sciendum autem est, omnium contrariorum eandem esse rationem, atque doctrinam, eandemq; orationem maximè illustrare, & exornare: vt non immeritò ipsis frequenter vtantur optimi auctores. Valebit argumentum ex hoc loco cum propositione affirmatiua, & conclusione negatiua, & contrà: vt, si Plato ambulat, ergo falsum est, hunc non ambulare: Si non ambulat, ergò falsum est, hunc ambulare. nam hoc communissimum est pronunciatum. De quocunque affirmatur vnumquodque contrariorum, negatur reliquum.*

De Adiunctis. Cap. XXIII.

ADiuncta sunt ea, quæ cum re sunt coniuncta, vt locus, vt tempus, vt ea, quæ rem circunstant: vt vestitus & comitatus homi- In Topic.

hominem circumſtant, & apparatus, colloquia, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, rubor, pallor, cæteraque, quæ ſuſpicionem poſſunt mouere. Latiſſimè itaque patent adiuncta, nam & quæ in hominis ſunt ſiue animo, ſiue corpore, vt virtus, vt vitia, vt oris vel pulchritudo, vel deformitas, aliaque innumera comprehendunt. Ab his ſumit argumentum Cicero pro Milone, cùm ait, Videmus nunc id, quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, vbi congreſſi ſunt, vtri tandem fuerit aptios, & multa deinceps: & paulò qòſt, Videte nunc illum egredientem, primum egredientem villa ſubitò, cur veſperi? quid neceſſe eſt tardè? qui conuenit, præſertim id temporis? & pro Cornelio. Hunc quiſquam incredibili quadam, atque inaudita grauitate, virtute, conſtantia præditum fœdera ſcientem neglexiſſe, violaſſe, rupiſſe dicere audebit? loquitur autem de Pompeio.

Cicer. pro Milone.

Laus Pōpeij.

Cicer. pro Cor. Bal.

IN CAP. XXIII.

Adiuncta ſunt ea. *Partim contingentia, partim applicita vocat Rodulphus Agric. Ariſtoteles Rhetor. 1. videtur vocaſſe conſequentia: alij vocant circumſtantia, attributa. Hunc locum valdè proprium oratoris eſſe, docet Cicero in Topicis: nam ex hoc plerunque, & ex ſignis conficitur Enthymema, quo vtitur orator: hic verò in cauſis coniecturalibus plurimùm valet.* Vt locus. *In adiunctis obſeruandum eſt, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit.* Latiſſimè itaque patet. *Scribit Boëtius in Topica Ciceronis, eam eſſe adiunctorum naturam, vt ſeparari quidem poßint, tamen ſi ſe inuicem monſtrent: nam neque qui amauit, neceſſariò potitus eſt, & ſæpè qui potitus eſt, non amauit: nec qui pal-*

pallet, necessariò timet, & sæpè non timens pallet: nec ex necessitate iratus occidit: & occidit sæpè aliquis nō iratus: sed tamen si de singulis inquiratur, eum concubuisse, qui amauit, & pallere, qui timet, & occidisse, qui iratus fuerit, verisimile est. Ab adiunctis argumentum deduci potest, & affirmando, & negando: sed argumentatio negans non eandem vim habet. Oris vel pulchritudo. *Ex qua, Platonicorum sententia, hominis probitatem licet arguere, vt ex deformitate improbitatem. Physiognomica igitur huc spectant. Pro Roscio Comœdo. Caput, & supercilia illa, penitùs abrasa, nónne olere malitiam, & clamitare calliditatem vidētur? Sic Martialis lib. 2. Zoilum irridet:*

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

De antecedentibus, & consequentibus. Cap. XXIIII.

ANtecedentia sunt ea, quæ sic antecedunt consequentia, vt cum ipsis necessariò cohæreant, qua ratione ab adiunctis distinguuntur. Coniuncta enim nunquàm necessariò cohærent cum his, quibus adiuncta sunt. Argumenti ab antecedentibus talis est formula, Ortus est sol, igitur dies est. Consequentia verò sunt, quæ rem necessariò consequuntur: ab eis ducitur argumentum, cùm ratio, rei dubiæ faciens fidem, sumitur à consequentibus, hoc modo, Dies est, igitur ortus est sol. Ex hoc loco est illud Ciceronis in Antonium, Luculentam tamen ipse plagam accepit, vt declarat cicatrix: probat enim, quoniam cicatrix magna esset, vulnus quoque fuisse magnum.

Ar. 2. Topic. c. 2. in Top. Cic.

Aristot. 2. Topi. c. 2. Ci. in To.

Phil. 7.

IN CAP. XXIIII.

Antecedentia sunt ea. *Antecedens est, quo posito, aliquid sequatur, est necesse.* Qua ratione ab adiunctis distinguuntur. *In quibus nulla præcedendi, cohærendive, aut sequendi intercedit necessitas.* Ortus est sol. *Si patientia fortitudo est, necesse est, vt ea sit virtus.* Consequentia verò sunt. *Consequens est, quod necessum est esse, si id, cui consequutum est, præcessisse consistit. Sciendum autem est, ab Antecedente plerumque esse argumentationes affirmando, vt à consequente plerumque negando.* Dies est, igitur ortus est Sol. *Vt, quam peperisse cōstat, eam, necesse est, cum viro consuetudinem habuisse. Non respirat animal, ergò non viuit.* Luculentam tamen plagam. *Annotandum est, Si in assumptione est antecedens, argumentum esse ab Antecedente: vt, si egenis succurrere, est pietas, etiam est virtus: Sed, si succurrere egenis, est pietas, ergò est virtus: quod si in Assumptione sit consequens, erit argumentum à consequente. Si lapis est animal, sensum habet, sed nihil sentit lapis, ergò non est animal.*

De Repugnantibus. Cap. XXV.

REpugnantia neque certa lege, neque numero inter se dissident: qua ratione à contrarijs, atque dissimilibus discernuntur: Exempli gratia, amare, & odio habere, contraria sunt, amare verò, & nocere, & lædere, & conuitijs insectari, repugnantia sunt. Argumenti à repugnantibus talis est formula, Amat illum, igitur non insectatur illum conuitijs. Hortensius non erat aduersarius Ciceronis, aut obtrectator, semper enim est alter ab altero adiutus, et communicando, & monendo, & fauendo.

De Clar. Orat.

IN CAP. XXV.

Repugnantia neque certa lege. *Locus à repugnantibus dicitur, cùm parti priori pars argumenti posterior repugnat, vt in exemplo, quod in fine capitis positum est, apparet. Argumentum ex hoc loco confici potest cum propositione affirmatiua, & conclusione negatiua: vt si illum amat, ergò illi non malè consultum esse vult.* Qua ratione à contrarijs. *Profuerit repetere ea, quæ capite de Contrarijs dicta sunt. Scire autem debemus, latius patere repugnantia, quàm opposita: licèt enim omnia opposita repugnantia sint, multa tamen sunt repugnantia, quæ opposita non sunt.* Amare verò & nocere. *Rectè itaque Boëtius dixit, Repugnantia intelliguntur, quoties id, quod alicui contrariorum naturaliter iniunctum est, reliquo contrariorum comparatur: vt, amicitiæ, & inimicitiæ contraria sunt: inimicitias verò consequitur nocendi voluntas: Amicitia ergò & nocendi voluntas repugnantia sunt.* Hortensiu non erat. *Et in oratione post reditum in Senatu: Tu misericors me affinem tuum, quem comitijs prærogatiuæ primum custodem præfeceras, quē Kalend. Ianuarij tertio loco sententiam rogaras, constrictum inimicis Reipub. tradidisti. Pronunciatum huius loci est hoc: cui conuenit vnum ex Repugnantibus, nō conuenit alterum, vel reliqua: exemplum hoc, Quod oculis cerno bellua est, non ergò est homo.*

De Causis. Cap. XXVI.

CAusa est, quæ sua vi efficit id, cuius est causa: vt vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Eius quatuor sunt genera, finis, efficiens, forma, materia. Finis est, cuius gratia fit aliquid, vt domus finis est vsus, belli pax, homi- *Cicer. de fato.*

nis

nis beata vita. Ab eo ducit argumentum, hoc modo Cice. contra Epicureos, Hi non viderunt, vt ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles, intelligendum, & agendum esse natum quasi mortalem Deum: contraque vt tardam aliquam, & languidam pecudem ad pastum, & procreandi voluptatem, hoc diuinum animal ortum esse voluerũt, quo nihil mihi videtur absurdiùs. Huius enim loci hæc vir est, Homo natus est ad intelligendum, & agendum, non igitur ad pastum, & voluptatem est ortus. Efficiens causa est, à qua aliquid est, vt, Sol diem efficit, toto cœlo luce diffusa: Ab ea est illud Ciceronis contra senectutis vituperatores, Caret epulis, aiunt, extructisque mensis, & frequentibus poculis: caret ergò vinolentia, cruditate, & insomnijs. Cuius loci vis in eo est, quòd vbi causa deest, effecta, quæ ex illa oriuntur, nullo esse modo possint. Et Nisus, vt Eurialum seruet, se auctorem cædis profitetur:

Argu. l. 2. ph. c. 2. De finib.

In 1. de Senect.

Aene. 2. lib. 9.

Me me, adsum, qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,
Nec potuit.

Aristot. 2. physſ. c 3.

Forma est ratio rei, & nota, per quam res est id, quod est, & à rebus alijs distinguitur, vt, Animus est hominis forma, hic enim causa est, vt homo sit, eumque à rebus alijs distinguit. Sic domus, sic nauis, sic ignis, sic terræ, cęterarumque rerum sua forma est, vel artificiosa, vel naturalis. Ab ea ducitur argumentum, hoc modo, Animi hominum immortales sunt, homines igitur ad æternitaté, immortalitatemque beatæ vitæ aspirare debent. Materia est, ex qua, & in qua res sunt, vt statuæ ęs, argentum pateræ, corpus hominis. Ex materia

Cic. de natu. de. li. 1.

sic sumitur argumentum, Corpus hominis mortale est, ab eius igitur societate, & contagione immortalis animus seuocandus est. Ex hoc loco Regia solis apud Ouidiū, Arma Aeneę apud Vergilium, multa signa sublata à Verre à Cic. describuntur. Ex his causarum generibus, tanquàm ex fonte, non modò ex causis, sed in omni scribendi genere, magna argumentorum suppetit copia. Licebit igitur diligenter eo cognito, non modò Oratoribus, & Philosophis, quorum est proprius, sed Historicis etiam, & Poetis multa, & varia, & copiosa, ex eo facilè depromere.

Li.2.Met. lib.8,

IN CAP. XXVI.

Causa est. *Tu vide, quæ doctißimè de causis differit Rodulphus Agricola lib. 1. cap. 14. Scito autem, locum hunc orationi maximam dicendi copiam subministrare. nam nullum certius, nec firmius argumentum dari potest, quàm quod à causis petitum fuerit. Hinc Aristoteles, omnium rerum scientiam in earum cognitione, tanquàm in fundamento constituit: hinc etiam Cicero in deliberationibus argumenta sumit ad explicandum, quid fieri poßit, quàm facilè poßit.* Quæ sua vi efficit. *Vel dicas, cuius vi euenit aliquid.* Finis, efficiens, forma, materia. *Finis est, cuius gratia res fit: efficiens, à quo res fit: forma, propter quam res est: materia, ex qua res fit: Finis autem causarum omnium potißimus est. nam materia, vt scribit Rudolphus, formæ expers, rudis est, & inculta, nec in vllius rei transit nomen. Forma si desit, efficientis vis prouenire nequit: efficiens, nisi cupiditate permotum sit, manet ociosum. Facile itaque apparet, finem, quanquàm vsu & effectu postremus est, omnium tamen esse proposito, atque institu-*

tione primum. Iccircò philosophi aiunt, finem esse principium, ob id, quod finis prima sit causa secundùm intentionem. Huius enim loci. *Sciendum est, Oratores sæpius vti argumentis à fine, & à causa efficiente, quàm à materia, & forma: nam hæ sunt partes rei.* Vt Sol diem efficit. *Hæc appellatur causa necessaria, seu naturalis.* Caret epulis, extructisque mensis. *Hæc est causa voluntaria, seu posita in delectu.* Quod vbi deest causa. *Nec hoc est ignorandum, causarum efficientium alias esse principales, alias adiuuantes, vt vocat Cicero de Fato: seu secundarias, vt præceptor, studium doctum reddit discipulum.* Forma ratio rei, & nota. *Quæ omnibus rebus nomina dat: vt domus non à lapidibus, sed à forma nomen habet. Sciendum autem est, formam duplicem esse: vna est, quam natura dat, vt exempli gratia, natura homini animũ ingenerauit: altera, quam ars operi adiungit, vt picturæ lineamenta.* Regia Solis apud Ouidium. *Argumento ficto, quod constat auro, pyropo, ebore, & argento, quam materiam ad fontem omnis claritatis & lucis arguendum vsurpat. Admonere volumus adolescentes, in quæstionibus tractandis, in quibus quæritur, quid cuique conueniat, aut non conueniat, duo hæc proponi solere. Quod causæ conuenit, idem & rebus effectis conuenit: Quod causæ non conuenit, nec rebus effectis: vt, Si cupiditates pernitiosæ Reipublicæ sunt, quoque odia, seditiones, bella, quæ ex his oriuntur, pernitiosa: Si luxuries, auaritiæ mater, fugienda erit, etiam auaritia fugienda.*

De effectis. Cap. XXVII.

EFfecta sunt ea, quæ sunt orta de causis. Eorum, vt causarũ, quatuor sunt genera: est enim suus effectus,

effectus,& finis,& efficientis causæ,itemque formæ,ac materiæ. Quæ autem sint singularum causarũ effecta,cognitis causis intelligitur: vt enim, quod effectum est,quæ fuerit causa,demonstrat: sic causa effectum indicat. Nam si finis belli pax est,bellũ eius pacis,quæ bello quæritur, effectus est.Eodemque modo dies solis effectus est,& homo corporis, ac animi, quorũ illud materia est, hic forma. Ab effectu sumitur hoc modo argumentum, Virtus facit laudem,sequenda igitur:at voluptas infamiam,fugienda igitur.

Aristo. 2. post. Cic. in Topic.

IN CAP. XXVII.

Effecta sunt ea. *Euenta etiam à Cicerone dicuntur : ab Aristotele dicitur* ἀιτιατόν *: quòd si latinæ linguæ vsus pateretur,propriè diceretur,causatum.* Suus effectus, & finis. *Vt ambulatio ob sanitatem: efficientiæ causæ, vt domus effectus illius, qui domum fecit : itemq́, formæ, vt, homo respectu formæ effectus dicitur causis formalis, ac materiæ : vt Idolum, effectus est auri,aut argenti, tanquàm materialis sculpti. Sciendum autem est,quoties laudamus, aut vituperamus, ab effectis argumenta duci.* Vt enim quod effectum est. *Nam,vt Aristot. Rhet. 1 scribit,sicut causæ,principiaq́, se habent,sic & effectus : & sicut effectus, sic & causa, & principia.* Ab effectu sumitur argumentum. *Secundo de Oratore extat illud exemplum: Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis vtimur,vectigalibus seruiamus & illud in oratione pro Lege Manilia, Solutione belli causa impedita fides concidit.* Fugienda igitur. *M. Antonius bellum gerit contra patriæ liberatores, ergò hostis patriæ. Ex hoc loco tot argumentorum genera desumi possunt, quot ex superiisri.*

De Comparatione. Cap. XXVIII.

LOcus à comparatione ſimplex quidem eſt, ſed tripliciter tractatur: à comparatione nimirùm maiorũ, vel minorum, vel parium. A comparatione maiorum ducitur argumentum hoc modo, Si quod, magis videtur conuenire, nõ conuenit, ne id quidem, quod minus, vt, num me fefellit Catilina non modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verũ id, quod multò magis eſt admirandum, dies? &, Etenim ſi ſummi viri, & clariſſimi ciues Saturnini, & Gracchorũ, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine nõ modò ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarũt, certè verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi in poſteritatem redundaret.

Ari. 2 Topi. c. 4. & 10. Rhet. 1. In Catil.

A minoribus ad maiora ducitur argumentum hoc pacto, Si quod minus videtur conuenire, tamen conuenit, ergò & id, quod videtur magis. Ouidius:

Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignes,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Et Horatius:

Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones,
Vt te ipſum ſerues, non expergiſceris?

In epiſ. li. 2. ad Loli. Lib. 5. accu. in To.

Et Cicero, Capitoliũ, ſicut apud maiores noſtros factum eſt, publicè gratis coactis fabris, operiſque imperatis exædificari, atq; effici potuit, maiore igitur ratione nauis cymba, & in Catil. 1. ſerui me hercule mei. Si me &c.

Parium autem comparatio nec elationem habet,

bet, nec submissionem, est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparantur, quæ ita ferè concluduntur, Eripuit contra Rempublicam pecunias, ergò & largitus est. &, si tibi non licuit imperare nauem Mamertinis fœderatis, non licuit, imperare Taurominitanis, item fœderatis. aut si his iure est imperata nauis, etiam illis potuit imperari.

2. de Ora. Li 5. accu.

IN CAP. XXVIII.

Locus à Comparatione. *Comparatio* συγκρίσις *vocatur à Græcis, de qua Aristot. Top. 2. Comparatio autem fit, quoties duo, vel plura sic inter se conferuntur, vt intelligatur, quid maius, quid minus, quid par. Ducuntur autem comparationes ab hominum actionibus: nam sunt aliæ comparationes de rebus expetendis, aut fugiendis.* A Comparatione maiorum. *Maiora sunt, quæ maiorem habent probabilitatem. Hoc pacto, Ne Crassus quidem tot sumptus sustinere posset, quónã pacto Irus? id enim esse vides, si cui magis inesse deberet, non inest, nec cui minus. Ab hoc loco, iuxta Aristotelis sententiam, argumentum affirmans deduci non potest: non enim argumentari possumus, Vrbs capta est à toto exercitu, ergò capietur à Duce cum paucis militibus: sed secundùm Ciceronem valet etiam affirmans.* A minoribus ad maiora. *Minora sunt, quæ minorem habent probabilitatem. Illud Terentij. Hic paruæ consuetudinis causa mortem huius fert tam familialiter, quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri? &* Cicero pro Archia, *Saxa, & solitudines voci respondẽt: bestiæ sæpè immanes cantu flectuntur, atque consistunt, nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moueamur? ex hoc loco negatiuè arguere non possumus. nam*

non sic probabimus. A Duce cum paucis vrbs expugnata non est, ergò, nec à toto exercitu. Quæ ita ferè cõcluduntur. *Si consilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum est, pars gloriæ debens esse ÿ, qui cõsulunt, & qui defendunt. A parium comparatione valet argumentum in vtramq; partem affirmationis nempe, & negationis. Cicero Philip. 2. Quorum facinus commune, cur non eorum præda communis? Hic è pari affirmato, par affirmatur. Terentius in Adelphis:*

Quando ego non curo tuum, nec tu cura meũ.

Hic è pari negato, par negatur. Paria autem sunt, quæ habent parem, siue æqualem probabilitatem.

De argumentis remotis. Cap. XXIX.

ARgumenta siue remota, siue assumpta non eò dicuntur sine arte, quòd ita sunt, sed quòd ea non parit oratoris ars, sed foris an se delata tamẽ arte tractat. Ea Cicero in Topicis testimonij nomine complectitur. Testimonium enim in eo loco dicit id, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Sed ad intelligendum erit facilius, si cum Quinctiliano in præiudicia, rumorem, & famam, tormenta, tabulas, iusiurandum, & testes ea diuidamus: Quæ vt ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiæ viribus, & alleuanda sunt plerunque & refellenda. Quare genus harum rerum, quæ ad oratorem deferebãtur meditatum in perpetuum ad vsum similium rerum, veteres oratores habebant. Nunc translatis ab oratoribus ad Iurisconsultos iudicijs, vt veterum oratorum scripta intelligamus, cognoscenda sint.

In Part.

In Topic.

Lib. 5. à c. 1. vsque ad 7.

IN

IN CAP. XXIX.

Ea non parit oratoris ars. *Neque enim in Oratoris manu est, vt illa in causa reperiantur, nisi reuerà fuerint, ingenio tamen suo, & arte tractantur.* Testimonium. *Sciendum, non quancumque personam pondus habere ad fidem faciendam, nam in ea requiritur auctoritas, quam aut virtus, aut tempus adfert, quæ à Cicerone in Topicis declarantur.* Sed ad intelligendum erit. *Varia scribuntur ab Auctoribus de inartificialibus locis. Aristoteles quidem Rhetor. 1. sub finem, quinque esse ostendit. Leges, testes, pacta, quæstiones, iusiurandum, eaq; propria rerum iudicialiũ docet. tu eum lege: diuisionem enim illam breuitatis causa omittimus. Scito tamen, quæcunque ab alijs sunt allata, ea si quis diligenter attendet, apertè videbit, quinque illis generibus, ab Aristotele traditis, contineri.*

De præiudicijs, & testibus. Cap. XXX.

CAEteris quatuor omissis, quæ facilè intelliguntur, & de præiudicijs, & testibus dicamus. Præiudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur. Rebus, quæ aliquando ex paribus causis sunt iudicatæ, quę exempla rectiùs dicuntur, Iudicijs, ad ipsam causam pertinentibus, vnde etiam nomen ductum est, qualia in Milonẽ à Senatu facta dicuntur. Aut cùm de eadem causa est pronunciatum. Veteres oratores & pro testib. & cõtra testes magno labore dicebãt, vt è pluribus Cicer. orationibus, maximeque oratione pro Flacco apparet. Nunc iudiciorũ mutata ratio facit, ne is labor sit necessarius, & vt de rumore, fama, tormẽtis, & iureiurando pluribus agendum non sit.

Quinct. 1. cap. 2.

Cicer. pro Milo.

IN CAP. XXX.

Cæteris quatuor omissis. *Tu consule Alexandrum Picolomineum, qui Paraphrasim in Rhetoricam Aristotelis, planè doctißimã scripsit.* De præiudicijs. *Auctore Pedtano: Præiudicium est res, quæ cùm statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod sequantur: vt exempli gratia. Cicero pro Archia Poëta confirmat, eum in ciuitate retinendum esse, quod hunc Tarentini, Neapolitani, & Rhegyni ciuitate, cæterisq; præmijs donarint: & quòd omnes, qui aliquid de ingenijs poterãt iudicare, eum hospitio dignum existimarunt.* Rebus ex paribus causis. *Id est, similitudine rerum, quæ iudicantur.* Quæ exempla rectius. *Huiusmodi exempla abundè tibi suppeditabit Valerius Maximus cap 7. & 8. libri 7.* Qualia in Milonem. *Et hæc præiudicia propriè appellantur à Latinis cuiusmodi tria in causa Milonis attulit: primum, nefas esse intueri lucem ei, qui hominem à se occisum fateatur. secundum, Cædem, qua Clodius occisus fuerat, senatum iudicasse contra Rempub. esse. tertium, Pompeium rogatione sua & & de re, & de causa iudicasse.*

De vsu, & vtilitate locorum. Cap. XXXI.

HOs locos multa commentatione, atque meditatione paratos, atque exped.tos, qui volet dicendo excellens esse, habere debet. Atque vt quæque res ad dicendum erit suscepta, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruat. Quæ quidem ei, qui mediocriter ea modo cõsiderarit studio adhibito, & vsu, pertractata esse possunt. Est enim vtilissimum, nosse regiones, intra quas venire, & peruestiges, quod quæ-

De Ora. 2

quæras. Vbi eum locum omnem cogitatione sepſeris, ſi modò vſum rerum percallueris, nil te effugiet, atque omne, quod erit in re occurret, atque incidet. Vt enim, ſi aurum cui, quod eſſet multifatiam defoſſum, commonſtrare aliquis vellet, ſatis eſſe deberet, ſi ſigna & notas oſtenderet locorum, quibus cognitis ille ipſe ſibi foderet, & id, quod vellet, paruo labore, nullo errore inueniret, ſic has argumētorum notas indicare ſatis eſt, quæ illa quærenti demonſtrant, vbi ſint: reliqua cura, & cogitatione eruuntur.

IN CAP. XXXI.

Tum denique ſcrutari locos. *Admonendus eſt adoleſcens, vbi primùm progreſſus aliquot fecerit in hac facultate oratoria, immò potiùs, ſi quid ex arte cōſcribere voluerit, quodq́; ſit lectione dignum, legendum ei eſſe Ariſto Rhet. primum librum. Is enim abundè docet, quinam loci, & quæ propoſitiones ſingulis generibus cauſarum conueniant: quæ omnia, ſi quis ignorauerit, non video, quid ex arte dixerit.*

Qui modus in argumentis adhibendus. Cap. XXXII.

NEC verò imprudenter quiſquam vtetur hac copia, ſed omnia expendet, & ſeliget. Non enim ſemper, nec in omnibus cauſis, ex iiſdem augmentorum momenta ſunt. Iudicium ergò adhibebit, nec inueniet ſolùm quid dicat, ſed etiam expendet. Nihil enim feracius ingenijs, his præſertim, quæ diſciplinis exculta ſunt: ſed vt ſegetes fœcundæ, & vberes non ſolùm fruges, verùm herbas etiam effundunt, inimiciſſi- In Orat. in Par.

micissi-

micissimas frugibus, sic interdum ex illis locis, aut leuia quædam, aut causis aliena, aut non vtilia gignuntur. Quorum ab oratores iudicio delectus magnus adhibebitur. Illud autem intelligẽdum est ex his locis, & ad faciendam fidem, & ad afferendum motum auditorum animus materiã peti. Sed quia difficile est, etiam si locorum naturam cognoueris, ex illis ea, quæ ad mouendos animos valent, eruere, de affectibus mouendis separatim dicamus, illud iterum monentes, nihil planè esse, siue ad docendum, siue ad mouendum accommodatum, quod ex his supradictis fontibus non fluat.

IN CAP. XXXII.

In hominum mentibus permouendis. *Hoc autem fit, aut minuendo, aut augendo id, de quo oratio habetur. Quare non insulsè sentiebat Quintilianus lib. 8. vim scilicet oratoris omnem in augendo, minuendóque consistere, in permouendis autem affectibus tria sunt consideranda: quæ præcipuè affectus possint mouere: qui homines faciliùs possint promoueri, & econtrà, quos faciliùs possint permoueri: quæ tria nullo negocio nos posse consequi, docent nonnulli, si affectuum definitiones probè mouerimus. Placet autem hic admonere adolescentes, cùm pauca admodum à Soario tractentur de Affectibus, hi autem adprime necessarij sint Oratori, tametsi recentiores multi de ijs scripserint, ea tamen ne aspernentur, quæ à Iasone Nores, viro tum nobilissimo, tum doctissimo in sua Rhetorica tractantur lib. 2. cap. 12. vbi & varios animorum motus describit, & quibus verbis, figurisq́; explicentur ab oratore, maximo cum fructu legentium aperit. de ijs etiam perdoctè scribit*

bit Bartholomæus Caualcanti libr. 4. suæ Rhetoricæ. Tunc dicemus, quum ad elocutionis. *Vbi docebit ea esse debere, quæ vim illustrandi habeant, nec ab vsu sint abhorrentia.* Rerum amplificatio. *Docet Aristoteles Rhetor, 1. amplificationẽ, & præcipuè eam, quæ fit per comparationem, magis Demonstratiuo generi conuenire, quàm alijs generibus.*

De Affectibus. Cap. XXXIII.

MAxima vis existit oratoris in hominum mentibus permouendis, quod amplificatione fit. Est enim amplificatio grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea & verborũ genere conficitur, & rerum. Quæ verba in amplificatione ponenda sint, tunc dicemus, cùm ad elocutionis præcepta venerimus. Rerum amplificatio sumitur ex eisdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem, maximeque definitiones valent conglobatæ, & consequentium frequenta- & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum cõflictio, & causæ, & ea, quæ sunt orta de causis, maximeque similitudines, & exempla. In Orat. In Part.

IN CAP. XXXIII.

In primis illustre exemplum. *Nec minus fortasse illustre illud, quod in oratione pro Milone legitur. Curiam enim definiens, ita dilatauit, Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput vrbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab vniuerso populo Romano concessam vni ordini inflammari, exscindi, funestari, cùm dicere posset, vidimus Curiam incendi.* Quæ genere & proprietate.

Solent enim Oratores definire per congeriem accidentium.

De amplificatione à definitionibus conglobatis. Cap. XXXIIII.

A Definitionibus conglobatis est illa Ciceronis amplificatio. Historia verò, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, qua voce alia nisi oratoris immortalitati commendatur. Est illud ex eodem lo-
De Ora.2 co imprimis illustre exemplum eiusdem pro Sestio. Ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret, quæ in tempestate sæua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per se semper, nec alienis vnquam sordidus obolescit. Vbi sunt quinque quasi definitiones, tum historiæ, tum virtutis conglobatæ: rarò enim adhibetur ab oratore definitio ad amplificandum, quæ genere declaretur, & proprietate.

De amplificatione à consequentium frequentatione. Cap. XXXV.

A Consequentium frequentatione, est illa in Verrem amplificatio, Constitue, nihil opis es-
Act.7. esse in hac voce, Ciuis Romanus sum, iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem orbem terrarnm, qui semper nostris hominibus maximè patuit, Ciuibus Romanis ista defensione præcluseris.

IN CAP. XXXV.

A Con-

A Consequentium frequentatione. *Noscere operæprecium est, quid sit consequentium frequentatio. Est autem, cùm ea proferuntur bona, vel mala, quæ consecutura sunt, quo artificio frequentissimè vtitur Cicero in Perorationibus.* Constitue, te nihil opis. *Et hoc: Abroga leges, ille nefarius alienum fundum inuadet: alter virginem violabit, ciuis ciuem contrucidabit: alter furabitur: sacra omnia profanari videbis, de rebus denique humanis malè agi.*

De Amplificatione à contrariarum rerum conflictione Cap. XXXVI.

A Rerum contrariarum conflictione est illa amplificatio Ciceronis in Antonium: Tam autem eras excors, vt tota in oratione tecum ipse pugnares, vt non modò non cohærentia inter se diceres, sed maximè disiuncta atque contraria: vt non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare, pœna affectum querebare: Ita quod proprium meum est, laudasti: quod totius Senatus est, repræhendisti: Mam cùm comprehensio sontium mea, animaduersio Senatus fuerit: homo disertus non intelligit eum, quem contradicit, laudari à se, eos, apud quos dicit, vituperari. Et in eiusdem orationibus: O spectaculum illud non modò hominibus, sed vndis ipsis, & litoribus luctuosum, cedere patria seruatorem eius, manere in patria proditores? Et in Catilinam: Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobrijs, dormientes vigilantibus? Ex Orat. 2.

Philip. 2.

Phil. 10. Brutũ vocat seruatorẽ, Antoniũ verò proditorem.

hoc

hoc loco etiam est illud eiusdem in Pisonem, & Gabinium. Qui latrones igitur, si quidō Vos consules? qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas Consulis, non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit leuitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenij sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam grauem, tam seueram.

IN CAP. XXXVI.

A Contrariorum rerum conflictione. *Pro Milone: non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicißimi: non malè aliquando de me meriti, sed semper optime.* Magnum nomen est, magna species. *Hæc Amplificatio dicitur etiam per congeriem: nam sciendum est, quatuor potißimùm generibus constare amplificationem: incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie.*

De amplificatione à dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictione. Cap. XXXVII.

A Dissimilium rerum conflictione sumpta est
Phil. 2. eleganter amplificatio illa Ciceronis, O tecta ipsa misera, quàm dispari domino: quanquàm quomodo iste dominus? sed tamen quàm à dispari tenebantur: studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, nō libidinum diuersorium. quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque

omnisque doctrina: at vero (non enim domino) personaban ... ibus ebriorum, natabant pauimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritorijs, scorta inter matresfamiliàs versabantur. at illa ex contentione pugnantium rerum, Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem & læderes, & laudares, & virum optimum, & hominē improbissimum esse diceres: eundem tu & honoris causa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. Pro Rosc. Com.

IN CAP. XXXVII.

O tecta ipsa. *Et pro Milone: Me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per eosdem, per quos nostram ille seruasset.* At verò te inquilino. *Hæc amplificatio diti etiam potest per hypothyposin, quæ fit, cùm res ita describuntur, vt cerni videantur.*

De amplificatione à causis conglobatis, & his, quæ sunt orta de causis. Cap. XXXVIII.

CAusæ etiam, & ea, quæ sunt de causis orta, multum valent ad amplificandum, si conglobentur: Cicero multas, & varias causas, propter quas multi esse ab eo alieniores, iunxit hoc modo: cùm alij me suspicione periculi sui non defenderent: alij vetere odio bonorum incitarentur, ali, inuiderent: alij obstare sibi me arbitrarentur: alij vlcisci dolorem suum aliquē vellent: alij rem ipsam publicam, atque hunc bonorum statum, ociumque odissent, & ob hasce causas tot, tamque varias, me vnum deposcerent. In Orat. pro Sext.

Orta

[redacted] ad amplificandum adhibuit cont[redacted]ium, Doletis tres exercitus P. R. interfectos, interfecit Antonius: Desideratis clarissimos ciues, eos quoque vobis eripuit Antonius: Authoritas huius ordinis afflicta est, afflixit Antonius: Omnia denique, quæ posteà vidimus mala (quid autem mali non vidimus?) si rectè ratiocinabimur, vna accepta referemus Antonio. Ex hoc loco Mezentij immanem crudelitatem auget Euander apud Vergilium:

Philip. 2.

Lib. 8.

Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? Dij capiti ipsius, generiq; reseruent:
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & sanie, taboq; fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

IN CAP. XXXVIII.

Euander apud Virgilium. *Et Achemenides apud eundem in lib. 3. Aeneid. & lib. 8. de Caco.*

De amplificatione à similitudine, atque exemplo. Cap. XXXIX.

Cicero in Ver. 7.

Cicero in Verrem: Non enim Charybdim tã infestam, neque Scyllam nautis, quàm istũ in eodem freto fuisse arbitror. Virgilius etiam ex hoc loco pulchritudinẽ Aeneæ pulcherrimis carminibus amplificauit:

Aeneid. 8.

Restitit Aeneas, claraq; in luce refulsit,
Os, humerosq; deo similis: namq; ipse decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo

Argentum, Pariusve lapis circunda

Idem mirificè expreſsit vim, q inTur num haſtam coniecit.

Cunctanti telum Aeneas fatale coruſcat, Aeneid. 12.
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet: murali concita nunquam
Tormenta ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus: volat atri turbinis inſtar,
Exitium dirum haſta ferens.

Ab exemplis verò eſt illa Ciceronis amplificatio pro Milone, Quamobrem vteretur eadem confeſſione Titus Annius, qua Hala, qua Naſica, qua Opimius, qua Marius, qua noſmetipſi. Et in Catilinam, An verò vir ampliſsimus P. Scipio Pontifex maximus Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. priuatus interfecit, Catilinam verò orbem terræ cæde, atque incendijs vaſtare cupientem nos conſules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo, quòd Q. Seruilius Hala Spu. Melium, nouis rebus ſtudentem, manu ſua occidit. Pro Mil.

IN CAP. XXXIX.

Non enim Charybdim. *Et in oratione pro lege Manilia. Primum ex ſuo regno ſic Mythridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa profugiſſe dicitur: quam prædicant in fuga fratris ſui membra ijs in locis, qua ſe parens perſequeretur diſsipauiſſe.* Quale manus addunt. *Et Horatius Epodon Ode tertia.*

Lupis, & agnis quanto ſortito obtigit, tecum mihi
diſcordia eſt.

[illegible] lit. *Idem lib. 2. Aeneid. de Pyr*
rh [illegible]

> *N[illegible] ribus ruptis, cum spumeus amnis*
> *Exijt, oppositasq; eiecit gurgite moles.*

In quibus exemplis nihil desiderari vides, nisi geminatio nem similitudinis. At verò vir amplissimus. *Amplificat non semel Cicerò in eadem Oratione ab exemplis congeminatis, quæ non colligam, ne videar in re facili diutius immorari.*

Quæ sint ad amplificandum adhibenda. Cap. XL.

SI causa patitur, ea sunt ad amplificandum adhibenda, quæ magna habentur: quorum est duplex genus. Alia enim magna natura videntur, alia vsu. Natura vt cœlestia, vt diuina, vt ea, quorum obscuræ causæ, vt in terris, mundoq; admirabilia, quæ sunt: ex quibus, similibusque, si attendas, ad augendum multa suppetunt. Vsu habentur magna, quæ videntur hominibus aut prodesse, aut obesse vehementius: quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut charitate mouentur homines, vt Dei, vt patriæ, vt parentum: aut amore, vt fratrum, vt coniugum, vt liberorum, vt familiarium: aut honestate, vt virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent. Ex his & cohortationes sumũtur ad ea retinenda, & in eos, à quibus ea violata sunt, odia incitantur, & miseratio nascitur: proprius locus augendi in his rebus, aut amissis, aut amittendi periculo. Quanuis enim neque ad probandum, neque ad amplificandum adhiberi quicquam potest, quod ex locis petitum non sit, tamen ea ipsa, quæ petuntur è locis ad amplificandum,

magna esse debent. Sic fecit c
cum ait, Quapropter de summa &
& populi Romani P.C. de vestris c ,ac li-
beris, de aris, ac focis, de fanis, ac templis, de toti-
us vrbis tectis, ac sedibus, de imperio, de liberta-
te, de salute Italiæ, deque vniuersa Republica de-
cernite diligenter, vt instituistis, ac fortiter. Ple-
raque omnia sumpta sunt è loco ab adiunctis, sed
sunt vsu magna. Virgilius etiam, cum Iulij Cæsa-
ris deplorat mortem, à rebus, natura magnis, quas
ad locos supradictos referre tamen possis, ampli-
ficationem duxit.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam, Georg. 1.
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit:
Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.

Quam vsque ad libri finem elegantissimè prose-
quitur.

IN CAP. XL.

Si causa patitur. *Videtur hoc dicere, habendam esse rationem materiæ illius, in qua Orator vti voluerit, amplificatione: quod vt faciamus, genus causæ considerandum est, an ei amplificatio, & quænam amplificatio conueniat. Vide, quod capite sequenti scribitur.* Vt cœlestia. *Veluti Cometæ, lampades, tonitrua.* Vt diuina. *Cuiusmodi sunt Oracula, vaticinationes, responsa Aruspicum. Cicero in Partitionibus.* Et quorum causæ obscuræ. *Terræmotus, terræ hiatus, insoliti strepitus.* Mundoq; obscura. *Monstra, prodigia, portẽta.* Quæ videntur hominibus. *Definitio hæc est.* Nam aut charitate. *Ex his amplificat Cicero in Oratione pro Rabir. Nã, me cum amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tũ verò salus pætriæ, consulare officiũ ad C. Rabir. defendendum, coegit. Hæc aũt appellatur amplificatio per*

[redacted] *alia etiam fit per distributionem, cum* [redacted] *o dici potest, pluribus complectimur: vt, si cum* [redacted] *dicere velis, dicas, prædas, locorum incendia, oppidorum direptiones, populorum cædes: talis illa est Ciceronis pro P. Sylla.* Sic fecit Cicero *Non ignorare debemus, res etiam amplificari per comparationem: nempè cum eas conferimus cum ijs, quæ magna existimantur: quod fecisse videtur Cicero in Oratione pro P. Quinctio, cum de iniuria illi illata, mentionem fecit: & in oratione pro Murena, cum artem imperatoriam cum Iurisprudentia confert.* Vergilius etiam, cum Iulij Cæsaris. *Huc etiam spectare videntur ea, quæ cõmemorantur ab Horatio de eodem Ode secunda, lib. primi Carminum.*

Quid in amplificatione seruandum.

CAP. XLI.

NIhil in amplificatione nimis enucleandum est. Minuta est enim omnis diligentia, hic autem locus grandia requirit. Illud est iu-
In part. dicij, quo quaque in causa genere vtamur augendi: in illis enim causis, quæ ad delectationem exornantur, ij loci tractandi sunt, qui mouere possunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem bonorum, ac malorum enumerationes, & exempla valent plurimum. In iudicijs, accusatori ferè, quæ ad iracundiam, reo plerumque, quę ad miserationem pertinent. Nonnunquam tamẽ accusator misericordiam mouere potest, & defensor iracundiam.

IN CAP. XLI.

Nihil in amplificatione nimis enucleãdum. *Præceptum, quod quidem memoria retinendum est: nã,*

vt est

vt est multò satis pulcherrima, ita longè periculosissima oratio, amplificationis ornamentis redundans. Et exempla. *Aristoteles quoque Rhet. primo docet, Enthymemata iudiciali generi esse apta: exempla deliberatiuo esse accommodata, Amplificationem autem generi demonstratiuo conuenire. quod ita intelligendum est: licere quidem Oratori in omni genere vti exemplis, & argumentationibus, sed alia tamen, aliud magis conueniunt. amplificatio autem generi demonstratiuo potissimū deseruit, quia in eo res sumuntur certæ, & manifestæ. itaque fit, vt probationibus, & argumentationibus minus indigeat orator. Cic. in Part.*

Cur quædam inuentionis præcepta ad causarum genera dentur accommodata: & de dignitate exornationis.

Cap. XLII.

ET. si ex supradictis fontibus omnis ad omnem orationem manat inuentio, tamen veteres oratores de generibus causarum (vt discentium minuerent laborem) seorsum præcepta tradiderunt. De præceptis autem exornationis in primis dicendum est. Nam latum genus est, saneq; varium, vt quod ad laudandos claros viros, & ad improbos vituperandos suscipiatur: & ad aliorū etiam vel animalium, vel carentium anima laudem, vel vituperationem adhibeatur, vt Cicero laudes Pompeij in Oratione pro lege Manilia, Siciliæ in libris accusationis in Verrem; studiorum verò humanitatis in oratione pro Archia poeta exornauit. Accedit etiam ad eius commendationē quòd nullum est genus orationis, quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit,

Parti. Quin. li.3. cap.7. Lib.4. Parti.

aut in quo magis orator in cognitione virtutum, vitiorumq; versetur. conficitur autem genus hoc dictionis ad animi motus leniter tractandos, magis quàm ad fidem faciendam, aut confirmandum accommodatè. Proprium enim laudis est res amplificare, & ornare. Quam ob causam Aristoteles, & posteà Cicero, & Quinctilianus idoneam maximè inter omnia genera causarum existimauerunt ad scribendum exornationem.

Arist. lib. 1. Rhe. c. 6. & Quin. li. 3. c. 7. & c. 8.

IN CAP. XLII.

Nam latum genus. *Possunt enim laudari personæ, vt Plato: Res, Iustitia. Tempora, Ver, Autumnus: Locus, vrbs, rus. quod elegantissimè factum est à Vergilio, & Horatio. Ratione carentia, vt equus, Leo: Planta, vt Oliua, & alia.* Sanequè varium. *Res siquidem laudari possunt à proprietate, qualitateq;, qua prædita sunt. hominum, alij à bonis animi, alij fortunæ, nonnulli à corporis bonis. Locorum, alij à situ, alij à fertilitate; alij à conditoribus, à commeatu, & contrà.* Aut vtilius ciuitati. *Hoc enim genere cum optimi ciues laudantur, ad præstantiora etiam & laudabiliora inflammantur; alij ad horum imitationem excitantur: improbi verò deterrentur, aut ad sanitatem reuocantur.* In cognitione virtutum. *Vt Prudentia, Iustitia, Constantia, Temperantia, de quibus Aristoteles Rhetoric. 1. & vberius in Ethicis.*

Ex tempore præterito quomodo laus ducatur. Cap. XLIII.

LAus hominum, cuius cognita præcepta facilè ad res alias transferuntur, diuiditur in têpora, quodque ante eos fuit, quoque ipsi vixerunt.

xerunt. In his autem, qui vita functi sunt, etiam quod est insecutum. Ante hominem patria, ac parentes, maioresque erunt, quorum duplex tractatus est: aut enim respondisse nobilitati pulchrum erit, aut humilius gen⁹ nobilitasse factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipsum fuit tempore trahentur, quæ responsis, vel oraculis, vel signis futuram claritatem promiserint, vt in D. Ioanne Baptista, multisq; alijs viris sanctissimis. Quin. li. 3. cap. 7.

IN CAP. XLIII.

Qui vita functi sunt. *Vtpotè tumba publicè magnificentius illi extructa statua erecta: vel ad sempiternam illius memoriam, vt aliquid statutis diebus fiat.* Ante hominem patria. *Vt, Thucidides nactus Athenas, quæ vitam, & eruditionem illi præberent.* Aut humilius genus. *Quorum copiam tibi suppeditabit Valerius Maximus.* Vel signis futuram claritatem. *Vt quod scribitur de Olympia, Alexandri matre: aut de Bulla, cuius sculptura haberet Leonis imaginem, à Philippo eius patre, aluo coniugis affixa, per somnium visa.*

De tempore quo vixit is, qui laudatur. Cap. XLIIII.

IPsius laus hominis ex animo, & corpore, & extra positis peti debet. Externa sunt, vt educatio, opes, diuitiæ, propinqui, amici, potentia, gratia, cæteraq; huiusmodi. In corpore verò sunt hæc, forma, vires, valetudo, & his similia. Qui hęc habuerit; laudabitur, quòd benè illis sit vsus: si nō habuerit, quod sapienter caruerit, si amiserit, qđ moderatè tulerit. Et quamuis & corporis, & fortuita, quæ dicuntur bona, in se veram laudem non Quin. li. 3. cap. 7. Cic. de ora.

habeant, quæ deberi virtuti vni putatur, tamen; quòd ipsa virtus in earum rerum vsu, ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc sunt. In quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes, & copiæ, non superbiæ videantur ac libidini, sed bonitati, ac moderationi facultatem ac materiam dedisse. Inter corporis verò bona, forma, quæ virtutem significat, facilè laudatur; quod elegantissimè Latinus poeta his verbis significauit.

In part.

Aen. 5.

Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Quin. li. 3 cap. 7.

Sed horum omnium leuior; at animi semper vera est laus, quæ quoniam à virtute proficiscitur, de illa nunc dicendum est.

IN CAP. XLIIII.

Non extulisse sese potestate. *Illa quoque Pamphili laudatio apud Terentium huiusmodi esse videtur. Sed illa insignis Euagoræ commendatio apud Isocratem præcipuè legenda est.* Quæ quoniam à virtute. *Aristoteles quoque Rhetoric. primo, Animi bona virtutes esse ait. Iustitiam, fortitudinem, modestiam, liberalitatem, mansuetudinem, prudentiam.*

De animi bonis, & virtute, quæ scientia cernitur. Cap. XLV.

In part.

VIrtutis duplex est vis: aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nāque prudētia, quæque grauissimo nomine sapientia appellatur, hæc scientia pollet vna. quæ verò moderandis cupidi-

piditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius est munus in agendo. Prudentia est rerum expetendarum, fugiendarumque scientia. Sapientia autem virtutum omnium princeps, est diuinarum, humanarumque rerum scientia. Sunt autem aliæ quasi ministræ, comitesq; sapientiæ, quarum altera, quæ dialectica dicitur, quæ sint in disputando vera, atque falsa, quibusque positis quid sequatur distinguit, & iudicat: altera est oratoria. Nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapiẽtia, quæ ex eodem hausta genere, quo illa, quæ in disputando vberior est, atque latior, & ad motus animorum, vulgique sensus accommodatior. Studia etiam omnium bonarum artiũ ad hunc locum pertinent.

Offic. 2.
In Part.

IN CAP. XLV.

Virtutis duplex est vis. *Existimo, non ab re esse virtutis definitionem in medium afferre, vt omnia adolescentibus faciliora esse possint, ab Aristotele itaque sic definitur. Virtus est habitus animi, rectè rationi conueniens. Cicero sic: interdum recta ratio, interdum animi habitus, naturæ, modo, ac rationi consentaneus. Interdum affectio animi constans, conueniensq; laudabiles eos efficiens, in quibus est. à Diuo Augustino: ars benè, recteq; viuendi.* Prudentia, quæque grauissimo nomine. *In vna prudentia virtutes omnes connexas esse, dicebat Aristoteles.* Prudẽtia est rerum. *Definitur. Prudentia est habitus ratione conficiendi ea, quæ sunt homini vel bona, vel mala.* Sapientia autẽ. *Hæc ita definitur. Sapientia est scientia perfectißima eorum, quæ sciri possunt ab homine: quæ rerum diuinarum humanarumq; scientiam complectitur: diuinarũ*

magis tamen. Rerum ſcientia. *Quæ certa, ac firma rei alicuius per cauſam cognitio eſt, atque perceptio, quæ vel ex inſitis animi notionibus per ſe cognoſcitur, vel rationum demonſtratione comparatur.*

De virtute, quæ in actione conſiſtit. Cap. XLVI.

VIrtus, quæ in actione poſita eſt, tres habet partes, Iuſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Iuſtitia eſt virtus, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; ſuum cuique, & rerum contractarum fide verſatur. Illa erga Deum religio, erga parentes pietas, vulgò autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi lenitas, amicitia in beneuolentia nominatur. Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, et laborum pepeſſio, cuius eſt liberalitas in vſu pecuniæ. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Cuſtos verò virtutum omnium, dedecus fugiēs, laudemque maximè conſequens verecundia eſt.

In Part.
De Inuen. 2.
In Part.

IN CAP: XLVI.

Iuſtitia eſt virtus. *Hanc Cicero dominam omnium, & reginam vocat fort aſſe, cùm intelligere vellet illam generalem, & vniuerſam virtutem, reliquarum virtutum perfectam. Ariſtoteles lib. 5. Ethic. appellat animi affectionem, qua homines apti redduntur ad iuſtè agendum, & quæ ea, quæ iuſta ſunt, & volunt, & agunt.* Fortitudo. *Poteſt etiam ſic definiri. Fortitudo eſt habitus, ſeu animi affectio, quæ conſiderata pericula ſuſcipit, & labores, & quæ quæcumque accidunt incommoda perfert, timorem, iramquè reprimens.*

huius

huius virtutis materia versatur in cohibendis rebus formidolosis, ac timorem incutientibus, ob imminens aliquod periculum. Temperantia est. *Hæc ea est virtus, quæ voluptates rationis imperio subijcit, ac modum rebus omnibus adhibet. Huic Cic. tres partes subijciuntur. Continentia, clementia, & modestia.*

Quomodo laus ab hoc loco sit ducenda. Cap. XLVII.

ET quoniam singularum virtutum sunt certa quædam officia, ac munera, & sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum huiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Huc spectat illa Ser. Sulpitij laus apud Ciceronem: Nec verò silebitur admirabitur quædam, & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia. Omnes, qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerint, si vnum in locum conferantur, cum Ser. Sulpitio non sunt comparandi. Neque enim ille magis iurisconsultus, quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscebantur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem, æquitatemque referebat: neque constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere. Itemque in ceteris res gestæ ad cuiusque virtutis genus, & vim, & nomen accommodabuntur. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quæ suscepta videntur à viris fortibus sine emolumento, ac præmio: quæ verò etiam cum labore, & periculo ipsorum, hæc habet vberrimam copiam ad laudandum, quod & dici ornatissimè possunt, & audiri facillimè. Ea enim denique vir-

De Orat. 2.
Phil. 6.
2. de orat.

esse videtur præstantis viri, quæ est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certè gratuita. Hinc Seru. Sulpitium mirificè Cicero laudat, quòd difficilimo Reipub. tempore graui, periculosoque morbo affectus, autoritatem senatus, salutemque populi Romani vitæ suæ præposuerit, contraque vim, grauitatemque morbi contenderit, vt ad castra Antonij, quò Senatus eum miserat, perueniret. Magna etiam illa laus, & admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter aduersos: non fractum esse fortuna: retinuisse in rebus asperis dignitatem. Sic Cicero Milonis in graui, ac difficili tempore vultum semper eundem, & vocem, & orationem stabilem, ac nō mutatam commendat, & eius infractum, & excelsum animum extollit. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præstabiles, aut nouitate primæ, aut genere ipso singulares. Eiusmodi rerum plenæ sunt orationes Ciceronis pro lege Manilia, & pro M. Marcello, in quarum altera Cn. Pompeium, in altera Iulium Cæsarem laudat: neque enim paruæ, neque vsitatæ, neque vulgares admiratione, aut omninò laude dignæ videri solent. Est etiam cum cæteris præstantibus viris comparatio in laudatione præclara. Sic apud Virgilium Augustus Cæsar cum his comparatur, quorum erant illustres victoriæ.

Philip. 9.
2. de Orat.
Li. Aen. 6.

Nec verò Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber agens celso Nisæ de vertice tigres.

Philip. 3. Et Cicero in Philippicis M. Antonium cum Tarquinio Superbo comparat: & D. Bruti, qui regnare non

re non patiebatur Antonium, beneficia in Rempub. maiora esse docet, quàm L. Bruti, à quo Tarquinius expulsus est.

IN CAP. XLVII.

Quid cum æquabilitate. *Quæ posita in hoc est, vt is, qui Reipub. præest, curet, ne dum ciuium partẽ aliquam tuetur, reliquas deserat. Cicero Offic primo ex mente Platonis. Illa quoque dispositio virtutum, quæ ad perfectionem mentis, voluntatisq́, ad irascibilem, concupiscibilemq́ spectat, diligenter est obseruanda, in quibus collocandis mirificè excellit Cicero in Oratione pro lege Manilia.* Omnes qui ex omni ætate. *Videtur hoc in loco auctor tacitè admonere, in laudandis viris Illustribus adhibendas esse comparationes, & parabella, quæ vocantur. hæ si quidem res augent, & illustrant, vt superiùs dictum est, & inferius dicetur.* Neque constituere litium actiones. *Quæ virtus eum maximè decet, qui Rempub. benè constitutam velit, quippe quòd ex ciuium odijs pleræque Respub. corruerint.* Sine emolumento ac præmio. *Officiorum primo Cicero: qui præsunt Reipub. vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agunt ad eam referãt, obliti commodorum suorum. quod & de priuato homine intelligi potest, hoc est in re domestica occupato.* Quæ verò etiam cum labore & periculo. *Huc spectat factum ipsius Ciceronis in cõsulatu, vberrimum sanè ad dicendum argumentum.* Aut nouitate primæ. *Hoc nomine in Oratione pro Rabirio, Perduellionis reo, Cicero laudabat illos, qui primi Perduellionis iudicium à Duumuiris ad populum transtulerant* Et Cicero in Philippicis. *Et in oratione pro eodem*

Rabirio

Rabirio, Labienum, qui dum se popularem profiteretur, crucem in foro defigi iusserat, cum Tarquinio Superbo comparat. in Oratione autem pro M. Marcello Cæsaris clementiam cum cæteris illius egregiè factis confert, eandemq; illis præfert.

De tempore, quod finem hominis insequitur. Cap. XLVIII.

NEc mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri debebit: si modò quid e- Partit. rit animaduertendum aut in ipso genere mortis, aut in his rebus, quæ mortem erunt conse- 2. de Orat. cutæ. In tempore autem, quod finem hominis insequitur, insunt habiti post mortem honores, decreta virtutis præmia, res gestæ, iudicijs hominũ comprobatæ. Afferunt etiam laudem liberi parentibus, vrbes conditoribus, & leges latoribus, artes inuentoribus, nec non instituta quoque au- Quint. li. 3. c. 7. ctoribus. Hinc est illud Ciceronis de Seruio Sulpitio. Quanquàm nullum monimentum clarius Ser. Sulpitius relinquere potuerit, quàm effigiem Phil. 9. morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium, cuius luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio leuari potest. Et in alia oratio- In Cat. ne: Romulum, qui hanc vrbem condidit, ad deos immortales beneuolentia famaque sustulimus. Omnis ordo supradictus in vituperatione constabit tantùm in diuersum, id quod in orationibus Ciceronis in Pisonem, in Vatinium, in M. Antonium, maximeque ex secunda Philippica animaduertere licet.

IN CAP. XLVIII.

Nec mors eorum. *Iuxta illud: Exitus acta probat.*

bat. In tempore autem, quod finem hominis consequitur. *Lælius Scipionis laudes amplificauit, quòd eius mortem totus Romanus Populus deplorauerit. Quàm autem (inquit) charus ciuitati fuerit, mœrore funeris declaratum est. ita fecisse videtur Plato, Demosthenes, Thucidides in suis orationibus funebribus.*

De laude vrbium. Cap. XLIX.

LAudantur vrbes similiter, atque homines, Nam pro parente est conditor, & multum autoritatis affert vetustas, & virtutes, ac vitia circa res gestas, eandemque in singulis. Illa propria, quę ex loci positione, ac munitione sunt. Quin. li. 3. Ciues illis, vt hominibus liberi, decori. Ad hunc c. 7. locum pertinet illud Verg. de vrbe Roma.

En huius, nate, auspicijs illa inclyta Roma, Aenei. 6.
Imperium terris, animos æquabit olympo,
Septemq; vna sibi muro circundabit arces
Felix prole virum.

Idem etiam poeta Italiæ laudes elegantissimè celebrauit ex his locis, in secundo li. 2. Georgic.

IN CAP. XLIX.

Est conditor. *Qui laudari potißimùm à prudentia poterit, quòd aptißimum locum vrbi ædificandæ delegerit.* Ac vitia. *Quæ tamen dißimulanda sunt, dum laudamus, quippe quæ causæ non faueant.* Circa res gestas. *Vtpote si colonia fuerit deducte, & ciuitate donata.* Quæ ex loci positione. *Vbi considerandum erit, quo cœlo fruatur, gelidone, an æstuoso. hinc dices, sub cœlo frigido homines fortißimos gigni: sub æstuoso verò, ingenio præditos nasci. Vide Ioannem Bodinum de Methodo Historiæ.*

De deliberatione. Cap. L.

Quin.li.3. c.7. De ora. 2. Quin.li.3. c.8.

QVæ tradita ſunt exornationis prçcepta multum ad ſententiam dicendam valent: quia plerunque eadem illic laudari, hic ſuaderi ſolent. In deliberando finis eſt dignitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaque dicenda. Sunt autem & in ſuadendo, & in diſſuadendo tria primùm ſpectanda. quid ſit, de quo deliberetur: qui ſint, qui deliberẽt, qui ſit, qui ſuadeat.

IN CAP. L.

In deliberando finis eſt dignitas. *Finis deliberatiui generis verus eſt vtilitas, vt illa, quæ mirificè iuuet ad benè viuendum. Sed adhibetur interdum honeſti conſideratio, interdum iuſti, quæ ſunt fines aliorum generum. Hinc eſt, quod Cicero ſecundo de Inuentione ſcribit, in Deliberationibus, vt nos arbitramur, quæritur, quid honeſtum ſit, quid vtile.*

De re, de qua deliberatur. Cap. LI.

Quint.li. 3.c.8.

REM, de qua deliberatur, aut certum eſt, poſſe fieri, aut incertum. Si incertum, hæc erit quæſtio ſola, aut potentiſſima. Sæpè enim accidit, vt prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendum: deinde fieri non poſſe. Cùm autem de hoc quçritur, coniectura eſt, vt, An Rex Alexander terras vltra Oceanum ſit inuenturus.

Phil.7. Sic ait Cicero: Pacem cum M. Antonio eſſe, nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Quæ tria diligentiſſimè in oratione explicat. Quædam & fieri poſſe, & futura eſſe, credibile eſt, ſed aut alio tempore, aut alio modo. Partes ſuadendi in vniuerſum ſunt tres, prima

eſt,

est, vt doceamus, effici posse id, quod suademus: secunda deinde honestum esse, postremò verò esse vtile. In primis itaque videndum est, an effici possit id, quod suademus, nam si quid effici non possit, deliberatio tollitur, quamuis & honestum & vtile sit. Videndum etiam est, quàm facilè possit: nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sunt, ac si effici non possint. Et cùm de necessitate attendemus, & si aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quàm sit magnum. Quód enim permagni interest, pro necessario sæpè habetur. Est apud T. Liuium præclara P. Scipionis oratio, in qua, & posse Annibalem in Africa vinci, demonstrat: & ad dignitatem populi Romani, famamque apud Reges, gentesque externas pertinere, non ad defendendam modò Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri, Romanis animum esse, & in primis esse vtile, requiescere aliquando diù vexatam Italiam, vri populariique inuicem Africam.

Arist. Rhe. lib. 1. ca. 4. Cicer. de Orat. 2.

Lib. 28. ab vr. cond.

IN CAP. LI.

Pacem, quia turpis est. *Turpis, quòd honesto contraria: periculosa, quòd vtili, quòd possibili: quæ tria in consultatione potissimùm spectanda sunt.* Sed aut alio tempore, aut alio modo. *Aristoteles ait Ethicorũ Sexto. Rectitudo bona est consultatio, qua quispiã ratiõe assequitur quod oportet, & vt oportet, & cùm oportet.* Et cùm de necessitate attẽdemus. *Profuerit mirificè ad intelligenda, quæ hîc breuiter memorantur, ea legisse, quæ Bartholomæus Caualcanti Rhetoricæ suæ lib. secundo scribit.*

De his, qui deliberant. Cap. LII.

Quin. li. 3. c. 8.

DIuersi sunt deliberantiũ animi: & siue consultent plures, siue singuli, in vtrisque differentia est. Quia & in pluribus multum interest, senatus sit, an populus: Romani, an Hispani, an Galli, & in singulis, Cato, an Cicero, & Cæsar, an Pompeius deliberet. Proinde intuendā sexus dignitas, ætas, sed mores præcipuè discrimē dabũt. Duo enim sunt hominum genera, alterum indoctum, & agreste, quod antefert semper vtilitatem honestati, alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit.

In Part.

IN CAP. LII.

Senatus, an populus. *Cùm quatuor sint Reipub. genera, horum profectò finem orator non ignorare debuerit. Dimocratia libertatem, finem, sibi propositum, habet. Oligarchia propriam vtilitatem semper intuetur. Aristocratia leges, & disciplinam inspicit. Tyrannus, vt tutò viuere posit, conatur. Optimus verò Princeps nihil potius habet, quàm vt populos, sibi creditos, tueatur, & conseruet. Oratio igitur nostra morata esse debuerit, & quæ se ad Reipublicæ formam prudenter accommodet, quo genere dicendi vsus est Cicero contra Rullum, & apud Cæsarem in Oratione pro M. Marcello: & in Oratione M. Aemilij Lepidi Salustius, vt in eandem annotauimus.* Proinde intueri debet. *Hæ quoque circumstautiæ diligenter sunt obseruandæ ab Oratore, scilicet, vt morata, verisimilis, & quæ materiæ propositæ respondeat, nostra sit oratio, Hoc verò dicendi genere potißimùm vtetur orator in genere Demonstratiuo: nam in genere iudiciali, ad concilijādum iudicem,*

scom-

ſcommata, riſus, facetè, arguteq́; dicta plurimum dominantur. Alterum indoctum, & agreſtè. *Idem intelligi poteſt de ijs, qui cæteris animi morbis laborant: vt facilè appareat, homines, voluptatibus deditos, facilius capi poſſe oratione, quæ ad voluptates adhortetur, quàm ea, quæ ad temperantiam.*

De prima parte ſuadendi. Cap. LIII.

SI honeſtatis pulchritudo cerni oculis poſſet, mirabiles ſui amores excitaret. Sed quoniam genus hominum, ad honeſtatem natum, malo cultu, prauiſque opinionibus corruptum eſt, diligenti cohortatione opus eſt. Et honeſta quidem apud honeſtos ſuadere facillimum eſt: ſi verò apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diuerſam vitæ ſectam, cauendum eſt. Et animus deliberantis non ſola virtutis commendatione permouendus, ſed laude, vulgi opinione, & ſecutura vtilitate, aliquanto verò magis obijciendo aliquos, ſi diuerſa fecerint, metus. Nam præter id, quòd his leuiſſimi cuiuſque animus facillimè terretur, neſcio an naturaliter apud plurimos plus valeat malorum timor, quàm ſpes bonorum. Sola virtutis commendatione incendit militum animos. Cato, apud Lucanum ad aggrediendum iter difficillimum & periculoſiſſimum.

Offic. 1. in Part. — Lib. 9.

O quibus vna ſalus placuit mea caſtra ſecutis
Indomita ceruice mori, componite mentes,
Ad magnum virtutis opus, ſummosq́; labores.
Quam orationem pulchra illa claudit ſententia.
Serpens, ſitis, ardor, arenæ,

Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris,
Lætius est, quoties magno sibi constat, honestum.
Sæpè etiam controuersia inter hominum senten-tias in illo est, vtrum sit honestius. Affirmant autem viri sapientissimi omne officium, quod ad coniunctionem hominum, & ad tuendam societatem valet, anteponendum esse illi officio, quod cognitione, & scientia continetur. In ipsa autem communitate sunt gradus, ex quibus, quid cuiq; præstet, intelligi potest, vt prima Deo Optimo Max. secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Ex quibus, atque similibus intelligimus, quomodò hāc suasionis partem, quæ ad honestatem pertinet, tractare debeamus.

IN CAP. LIII.

Ne videamur exprobrare diuersam vitę sectam. *Qui enim illis quicquam persuadere poterimus, si exprobrando ipsis vitæ genus, turpiter gestæ, eos nobis infensos reddiderimus? & fortasse in illos parum animati existimabimur, quòd si ita esset, nihil illis vnquàm persuadebitur: nam beneuolentia, vt Aristoteles docet Rhet. secundò, vna est ex illis tribus rebus, quibus homines orationi suæ fidem acquirunt.* Non sola virtutis commendatione, sed laude. *Cuius rei exempla tibi plurima afferent Ciceronis Epistolæ ad Caßium lib. 12. Famil.* Nam præter id quod hi. *Et profectò res ita se habet, vt homines promptiores sint ad declinanda mala, quàm ad sequenda bona: ex quo fit, vt faciliùs illi mali timore, quàm boni alicuius spe commoueantur.* In ipsa autem communitate. *De quibus abundè Cice. disputat Offic. 1.*

De

De vtilitate. Cap. LIIII.

AN ſit autem facile, magnum, iucundum, ſine periculo, ad quæſtionem pertinet vtilitatis. Suaſor itaque vel omnia hæc, vel eorum pleraque ineſſe in eo, quod ſuadet, oſtendet. Qui verò diſſuadet, ille difficile, paruum, iucundum, periculoſum monſtrabit. Hoc modo Fabius Maximus apud T. Liuium ne P. Scipio in Africam traijciat, contendit: cùm Annibal hoſtis incolumi exercitu quartum decimum annum Italiam obſideat. Nam nunc quidem præterquàm quòd & in Italia & in Africa duos diuerſos exercitus alere ærarium non poteſt, præterquàm quòd vnde claſſes tueamur, vnde commeatibus præbendis ſufficiamus, nihil reliqui eſt, periculi tandem quantum adeatur, quem fallit? Deinde grauiter, & ſapienter difficultates multas, & pericula commemorat, quæ futura ſint, ni conſul vterque in Italia retineatur. Eodem etiam modo propoſitis duobus vtilibus, vtrùm ſit vtilius, controuerſia eſt. Cùm autem ſpecies vtilitatis cum honeſtate certat, qui vtilitatem defendet, enumerabit commoda pacis opum, potentiæ, vectigalium, præſidij, militum, vtilitateſque cæterarum rerum, quarum fructum vtilitate metimur: itemque incommoda contrariorum. Ex his locis Catilina apud Saluſtium ad nefarium facinus, quod ille maximum, atque pulcherrimum vocat, coniuratos hortatur. Vobis (inquit) eſt domi inopia, foris æs alienum, mala res, ſpes multò aſperior, denique quid reliqui habemus, præter miſerrimam animam. Quin igitur expergiſcimini? en illa, quam ſæpè optaſtis libertas: prætereà diuitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt. Curio ſimiliter

Quint. lib. 3. cap. 8.

Lib. 3. De ca. 3.

De orat. 2.

Saluſt. de Cat.

ter apud Lucanum specie vtilitatis Iulium Cæsarem ad ciuile bellum hortatur.

Lib. 2.

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum: facili si prælia pauca
Gesserit euentu, tibi Roma subegerit vrbem

3. de Orat.

Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla, quæ erunt vel cum periculo gloriosa, colliget, posteritatis immortalem memoriam augebit, vtilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse coniunctam. Hæc autem exercitatio defendendi speciem vtilitatis contra honestatem, in qua vna vera est vtilitas, ad scholarum exercitationes vtilis est: nam & iniquorum ratio noscenda est, vt melius æqua tueamur.

Quint. lib. 3. cap. 8.

IN CAP. LIIII.

Hoc modo Fabius apud Liuium. *Est & illa elegantißima Oratio, quæ legitur apud Iosephum lib. secundo de bello Iudaico, habita ab Agrippa, dum Iudæis persuaderet, ne bellum inferrent Romanis.* Enumerabit commoda pacis, Opum, potentiæ. *Quæ omnia commemorat elegantißimè Cicero in Oratione pro lege Manilia.*

De eo, qui suadet, Cap. LV.

De orat. 2.

MVltum etiam refert, quæ sit persona dicentis, suadente enim aliquid, aut dissuadere, grauissimæ est personæ. Nam & sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus: & honesti & diserti, vt mente prouidere authoritate probare, oratione persuadere possit.

Quin. lib. 3. cap. 8.

Anteacta vita si illustris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut dignitas affert expectationē, videndum est, ne quæ dicuntur, ab eo, qui dicit, dissen-

tiant. At his contraria summissiorẽ quendam modum postulant. Nam, quæ in alijs libertas est, in alijs licentia vocatur, & quibusdam sufficit autoritas, quosdam ratio ipsa ægrè tuetur.

IN CAP. LV.

Suadere est grauissimæ personæ. *Quod intellexit Virgil. Aeneid. lib. 1.*

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum quem,
Conspexere silent, arrectisq́; auribus adstant.

Ratio autem hac conciliandi auditorem, quæ posita est in commendatione dicentis, deliberatiuum genus respicit. Ab eo, qui dicit, dissentiat. *Omnes enim facilè adducimur, vt assentiamur ijs, quos bonis moribus præditos, quos prudentes, quos fideles esse opinamur. Vide Aristotelem Rhet. 1. Sed non est ignorandum, delectare necessarium adeò esse in dicẽdo, vt plerique existimarint, huic inter alia Oratoriæ facultati necessariæ palmam esse tribuendam.*

Quædam in deliberatione obseruanda. Cap. LVI.

AD consilium de Rep. dandum caput est, nosse Rempublicam, ad dicendum verò probabiliter nosse mores ciuitatis, qui quia crebrò mutantur, genus quoque orationis est sæpè mutandum. In senatu minori apparatu dicendum est, sapiens enim est consilium, multisq́ue alijs dicendi relinquendus locus, vitãda etiam ingenij, ostentationisq́; suspicio. Concio capit omnem vim orationis, & grauitatẽ, varietatemq́; desiderat: maximaq́; pars orationis admouẽda est ad De Orat. 2.

animorum motus. Hoc videre est in quibusdam Ciceronis orationibus cōtra M. Antonium, in senatu habitis, quæ cùm sint elegantes & disertæ, nullum tamen apparatum habent. At oratio pro lege Manilia, & orationes de lege Agraria, multò magnificentius habent & ornatius genus dicendi. Vis autem ad suadendum exemplorum est maxima, aut recentium, quò notiora sint, aut veterum, quò plus authoritatis habeant. Plerunque enim vidētur respondere futura præteritis, habeturque experimentum velut quoddam rationis testimonium. Suadet Fabius Maximus in Senatu, ne P. Scipio Annibale in Italia relicto in Africā traijciat: Dies me deficiat (inquit) si Reges, Imperatoresque, temerè in hostium terras trāsgressos, cum maximis cladibus suis exercituumque suorum enumerare velim. Deinde vetus affert Atheniensium exemplum, qui classe in Siciliam transmissa, Rempublicam suam in perpetuum afflixerunt. Et nouum M. Attilij, qui in ea ipsa Africa annis ante quadraginta in prælio victus, & captus est. Sequebatur, vt ea, quæ iudicijs accommodata sunt, explicarentur: sed quia iudiciorum mutata ratio, vt ea præcepta parùm sint necessaria, efficit, & ex orationibus Ciceronis, & locis suprà dictis, tum etiam his, quæ de partibus orationis dicentur, facilè cognosci possunt: sequitur vt de secunda parte Rhetoricæ dicamus.

Arist. li. 1 Rhe. ca. 9. Quin. li. 3. cap. 8. Cic. in Part.

IN CAP. LVI.

Nosse Rempublicam. *De cuius generibus superius cap. 52. vt hinc liquidò appareat, administrandæ Reipublicæ rationem valdè necessariam oratori esse.* Nosse mores. *Bonine, an corrupti.* Concio capit

omnem

omnem vim. *Hæc, vt docet Asconius, ad populum haberi solebat. Hoc videre est in quibusdam orationibus Ciceronis, & in oratione M. Aemilij Lepidi in Syllam apud Sallustium, vt superius annotauimus.* Quo plus auctoritatis habeant. *Cuiusmodi exempla leges apud Xenophontem libr. secundo, dum Græcos hortaretur, ne ab incepto desisterent.* Iudiciorum mutata ratio. *Quæ tum Romæ, tum in Græcia secus habebantur, quàm nostra hac ætate exercentur. Extat Francisci Pollesi Duacensis liber, cui titulus, Historia Fori Romani, valdè eruditus.* Vt ea præcepta parum sint necessaria. *Ego tamen hortor adolescentes, vt quæ à Bartholomeo Caualcanti libro secundo sunt tradita, attentè legant, non enim ea sine fructu erunt.*

FINIS LIBRI PRIMI.

DE ARTE RHETORICA, LIBER II.

De Dispositione. CAP. I.


SECVNDVS hic liber dispositionis præcepta continebit, quæ oratori perutilia sunt, & maximè necessaria. Quid enim diligenter argumenta inuenisse conferet, nisi pari diligentia, quæ inuenta sunt, collocẽtur? Excellentis ducis virtus non magis in deligendo fortissimo, & strenuissimo quoque milite ad bellum, quàm in instruenda ad pugnam acie cernitur: & si quam in corporibus nostris, aliorumve animalium partem permutes, atque transferas, licèt habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Et artus etiam, leuiter loco moti, perdunt, quo viguerunt, vsum; & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento: Sic oratio carens hac virtute, tumultuetur, necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio, nec fine proposito, casum potius, quàm consilium sequatur. Quapropter hic liber dispositioni seruiat. Est autem dispositio rerum inuentarum in ordinem distributio. Cuius in infinita quæstione ordo est ferè idem, qui expositus est locorum. In definita autem adhibendi sunt illa etiam, quæ ad motus animorum pertinent. Atq; eo fit, vt vtamur exordio, narratione, confirmatione, peroratione. Hæ sunt enim quatuor orationis partes, per quas inuenta distribuimus. Quarum duæ valent ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio, de quibus sigillatim dicendum est.

Quin. li. 7. in præfat.

De inuẽ. 1. In part.

In part.

ANNO-

ANNOTATIONES in caput primum.

Liber diſpoſitionis. *Quæ & compoſitio, collocatio, diſtributio, & Ordo, dicitur: τάξιν vocant Græci.* Hæc duplex eſt, altera rerum, altera verborũ. *Hic de rerum diſpoſitione agitur: quæ idcircò inuentioni ſubijcitur, quod ad res magis, quàm ad verba ſpectare videatur.* Quæ oratori perutilia ſunt. *Conſtat enim ordinem ad rerum perſpicuitatem declarandam, plurimum valere.* Tumultuetur, eſt neceſſe. *Neque enim ſingula orationis membra conſiderari queant, & iudicari, quomodo conſentiãt.* Cuius in infinita quęſtione. *Tu intellige, in infinita quæſtione argumenta ad fidem faciendam, eodem modo & ordine eſſe tractanda, quo locis Topicis numerantur.* Qui eſt expoſitus locorum. *Nempè, vt definiamus, partes inueſtigemus totius, à coniugatis, &c.* Vt vtamur exordio, narratione. *Quarum partium ſeriem non ita accipies, tanquam ſint leges de rebus capitalibus, in æs inciſæ: nam ſæpè loco mutantur, & interdum cedunt vtilitati. Sic Cicero in cauſa Milonis quædam præiudicia tractat antè narrationem, quæ tamen ne intelligas præcedere narrationem, quæ propria eſt ſuæ quæſtionis, hoc enim penitus naturæ aduerſaretur: & pro Sylla confutatio præcedit confirmationem, quod quidem accidit ob diuerſas occaſiones, oratori oblatas: idcircò de hac artificiali collocatione præcepta dari nequeunt, cum pro cauſæ vtilitate ſæpius ab oratore immutanda ſit.* Quarum duę valent. *Idcircò narratio, & confirmatio partes ſunt*

præ-

præcipuæ, & quæ omittti nullo modo possunt. nam Exordium interdum omitti potest, cum scilicet res, de qua agitur, non eget, vt ad reliquam dictionem iudicis animus præparetur: vt ibidem omitti potest conclusio, cum paucis, vel vno etiam argumento probatum est, quod intendimus.

De Exordio. Cap. II.

De inuen. Quin. lib. 4 ca. 1. Aristot. 3. Rhe. c. 4. In part.

EXordium est oratio, animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem. Id maximè rebus, inter authores plurimos constat, si beneuolum, attentum, docilem auditorem fecerimus: quorum primus locus, id est, vt amicè audiamur, est in personis nostris, auditorum, aduersariorum, è quibus initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur: aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officij, iustitiæ, fidei, contrarijsque rebus in aduersarios conferendis, & cum auditoribus aliqua coniunctionis aut causa, aut spe significanda. Cicero pro C. Rabirio, perduellionis reo, Me cum amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata; tum verò vt id studiosissimè facerem, salus Reipublicæ, Consulare officium, Consulatus denique ipse vna mihi vobiscum cum salute Reipubl. commendatus coegit. hęc autem accuratè in eo exordio, & ornatè explicat. In oratione verò pro P. Sylla sic ait: Quanquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio, tamen in cęteris malis facilè patior ablatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam, misericordiamq; notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam,

Pro C. Rabirio.

Pro P. Sylla.

ſam, agnoſcerent, improbi ac perditi ciues edomiti, atque victi præcipitante Republ. vehementem me fuiſſe, atque fortem, conſeruata mitem, ac miſericordem faterentur. Et pro Cn. Plancio ſuam cum iudicibus coniunctionem ſignificat his verbis, Nunc autem veſter Iudices conſpectus, & conſeſſus iſte reficit, & recreat mentem meam, cum intueor, & contemplor vnumquenque veſtrum: video enim hoc in numero neminem, cui mea ſalus chara non fuerit, cuius non extet in me ſuum meritum, cui non ſim obſtrictus memoria beneficij ſempiterna. Itaque non extrinſeco, ne Cn. Plancio cuſtodia meæ ſalutis apud eos obſit, qui me ipſum maximè ſaluum videre voluerunt. At in oratione pro P. Quintio, vim aduerſariorum, & gratiam in inuidiam vocat, & C. Aquilium, qui in cõſilio aderant, orat, atque obſecrat, vt multis iniurijs iactatam atque agitatam æquitatem in eo tandem loco conſiſtere, atque confirmari patiantur. Intelligenter autem vt audiamur, & attentè à rebus ipſis ordiendum eſt, ſed facillimè auditor diſcit, &, quid agatur, intelligit, ſi complectare ab initio genus, naturamq́ue cauſæ, ſi definias, ſi diuidas, ſi neque prudentiam eius impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine. Sic exorditur Cicero pro A. Cluentio: Animaduerti Iudices, omnem accuſatoris orationem, in duas diuiſam eſſe partes: Quam diſtributionem ait certum ſibi eſſe in defenſione ſeruare, vt omnes intelligant, nihil eum nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. Vt attentè autem audiamur, trium rerum aliqua conſequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cum ipſis, apud quos res agetur. Luculenter hunc locum Cicero tractauit in exordio

Pro C. Plancio.

Pro P. Quin.

In part.

Pro A. Cluē.

In part.

nobi-

Pro domo sua. nobilissimæ orationis pro domo sua: Quod si vllo tempore magna causa in sacerdotum populi Rom. iudicio, ac potestate versata est, hæc profectò tanta est, vt omnis Reipublicæ dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, Quin. li. 4. ca. 1. fidei, potestatique commissa, creditaque esse videantur. Verum ex his, quæ proposita sunt, aliud atque aliud pro varietate causarum desiderari palam est.

IN CAP. II.

Animum auditoris comparans. *Priusquam enim de re dicamus, præparandi sunt animi audientium aliqua re, emerendi fauoris gratia.* Si beneuolum, attentum, docilem. *Quas tamen res non magis exordij proprias, quàm reliquarum partium, esse intelligas. Quare Aristoteles Rhetor. tertio censebat, omnium partium communem esse attentionem, eumque ridiculum esse existimabat, qui solùm in principio eam collocaret. Semper enim initiò rerum tractandarum erecto sucto sumus animo: posteà verò imbecillitate humani ingenij defatigamur.* Me cum amicitiæ vetustas. *Illud etiam Exordium pro Archia poeta, & diuinationis contra Cæcilium sumptum à Ciceronis persona est.* In oratione verò pro Sylla. *Quod totum exordium sumptum vides ab ipsius P. Syllæ persona.* At in oratione pro P. Quinctio. *Aeschines quoque (vt de Græcis aliquid dicamus) in oratione contra Ctesiphontem sumpsit exordium ab aduersariorum persona. & Cicero in oratione pro L. Flacco à persona auditorum. Sed non est ignorandum, sumi etiam posse exordia à rebus, quæ in causa aguntur, vt videre est in Oratione pro Cluentio, & infe-*

inferius apparebit. Nam aut magna quædam. *Aristoteles quoque Rhet. 3. attentos fieri auditores, docet, rebus magnis, suis, nouis, iucundis.* Verum ex ijs, quæ proposita sunt. *Præterea, quæ hic de Exordio dicta sunt, perutile scitu est: Exordia tribus partibus constare debere, Propositione, Propositionis ratione, & Conclusione. illa est propositio, vnde initium sumit exordium: illa dicitur ratio, quæ propositionem confirmat: eam verò cõclusionem appellamus, quæ vtramque colligendo, aditum nobis ad cæteras orationis partes patefacimus. Id quiuis facilè intelliget, si attentè exordium Orationis pro Archia Poeta leget: vt nostris scholijs in eandem orationẽ annotauimus.*

De generibus causarum. Cap. III.

GEnera porrò causarum, plurimi quique ferunt, honestum, humile, dubium, vel anceps, admirabile, obscurum. Sunt, quibus rectè videatur, adijci turpe, quod alij humili, alij admirabili subijciunt: admirabile autem vocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In ancipiti maximè beneuolum iudicem, in obscuro docilem, in humili attentum parare debemus: nam honestum quidem ad conciliationem satis per se valet: in admirabili ac turpi remedijs opus est: & eò quidam exordium in duas diuidũt partes, principium, & insinuationẽ, vt sit in principijs recta beneuolentiæ & attentionis postulatio, quæ quia esse in turpi causæ genere nõ possit, insinuatio surrepat animis, maximè vbi frons causę nõ satis honesta est, vel quia res sit improba, vel quia hominibus parũ probetur. Et quidem quibus aduersus hæc remedijs sit medendũ, consilium ex causis sumetur. Illud in vniuersum pręceptũ sit, vt Cicero

Quin. li. 4 cap. 1.

Quin. lib. 4 ca. 1.

Ad Her. li. 1.

ab his

Deinuen. ab his, quę ledunt, ad ea, quę prosunt, refugiamus. Si causa laborabimus, persona subueniet, si persona, causa. His etiam de causis insinuatione vtendum est, si aduersarij oratio auditorum animos occupauerit, vel si dicendum apud fatigatos est: quorum alterum promittendo nostras probationes, & aduersas eludendo, vitabimus: alterum & spe breuitatis, & his, quibus attentum fieri auditorem docuimus. Vrbanitas etiam oportuna reficit animos, & vndecunque petita auditoris voluptas leuat tædium.

IN CAP. III.

Genera causarum. *Hoc discentibus negotium posset facescere: quòd cum libr. 1. cap. 4. dictum sit, Causarum tria esse genera, nunc quinque esse dicat. Fabius Victorinus, Diui Hieronymi præceptor, hanc quæstionem libro primo de Inuentione soluit: cuius sententiam breuitatis gratia omitto: Illam Ascensij, vt faciliorem, in adolescentium gratiam apponam. cuius hæc sunt verba. Cicero, vt clarius institutum suum persequatur, diuidit rursus causas aliò modo, vtpotè per alia accidentia: quo circa non est inconueniens, etiam si prius tria causarum genera posuerit, nunc quinque ponat, quia non diuidit causam per eadem membra, sed per alia, sicut non est inconueniens in Grammatica, si nomen diuidatur per qualitatem in proprium, & appellatiuum, & per figuram in simplex, & compositum. hoc est autem, quod dicebat Fabius Victorinus: Cum substantiæ acciderit vna qualitas, potest & alia accidere, sed quæ non sit in eodem genere, in quo prima qualitas fuit.* In obscuro docilem. *Quòd scilicet rei difficultas, de qua agitur, vix alioqui ab auditoribus percipi posset.* In humili attentum.

tum. *Quòd est, cum, quid ab auditoribus contemni posse suspicamur: vt si quis ad Senatum de purgandis cloacis referret.* In duas partes diuidunt. *Quòd in eo genere, vel omnino auditores sint infesti, vel non omnino si infesti infesti, insinuatione vtendum, sin minus principio.* Vrbanitas etiam opportuna. *Id fit inserendo rem aliquam ridiculam. fabulosam, vel imitatione quadam in gestu corporis, ab aduersarijs inter dicendum facto.*

Cuiusmodi exordia esse debeant. Cap. IIII.

EXordia semper cum accurata, & acuta & instructa sententijs, apta verbis, tum causarũ propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio, & commendatio oratoris in exordio, quę continuò eum, qui audit, permulcere, atque allicere debet. Maxima autem copia exordiorum ad auditorem aut alliciendum, aut incitandum ex ijs locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa: quos tamen totos in exordio explicari non opportebit, sed tantum impelli primò auditorem leniter, vt iam inclinato reliqua incumbat oratio. De Orat.

IN CAP. IIII.

Et instructa sententijs. *Quæ tamen non ita frequentes, & prudenter accommodatæ esse debent: vt ex lectione clarißimorum Oratorum obseruari potest.* Eũ, qui audit permulcere. *Ob id dubio procul exordiũ vna est ex orationis partibus (altera est enim peroratio) quæ ad ipsum auditorum spectat.* Maxima autem exordiorum copia. *Ne hoc quidem celare volui lecto-*

rem, plura esse posse exordia in vna oratione, potioribus propositá quæstionibus: vt videre est in oratione pro lege Manilia: in qua præter illud primum exordium, aliud etiam additur, tertiæ orationis parti, quæ erat de imperatore eligendo. Qui ad motus animorum. *Vt orare, cupere, admirari lætari, tristari, sperare, vereri.*

De vitijs exordij. Cap. V.

HAEC autem sunt vitia certissima exordiorum, quæ summopere vitare oportebit: vulgare, commune, commutabile, lõgum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, vt conuenire videatur. Commune est, quod nihilominus in hanc, quàm in contrariam panem causæ potest conuenire. Commutabile est, quod ab aduersario potest leuiter mutatum ex contraria parte dici. Longum est, quod pluribus verbis, aut sententijs, vltrà quam satis est, producitur. Oportet enim, vt ædibus ac templis vestibula & aditus, sic causis proportione rerum principia proponere. Separatum est, quòd non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum, annexum orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quàm causæ genus postulat, vt si quis docilem faciat auditorem, cum beneuolentiam causa desideret, aut si principio vtatur, cum insinuationem res postulet. Contra præcepta est, quòd nihil eorum efficit, quorum causa præcepta de exordijs traduntur: hoc est quòd eum, qui audit, nec beneuolum, nec attentum, nec docilem reddit, aut, quo profectò nihil peius est, vt contra sit, facit.

De Inuē. lib. I. Ad Herē. lib. I.

2. De Orat.

IN

IN CAP. V.

Quod in plures causas potest accommodari. *Quod tamen interdum non sine vtilitate esse potest huiusmodi exordia irridere videtur Cicero in diuinatione contra Q. Cæcilium: vt Iouem ego optimum inuoco: aut Vellen. si fieri potuisset.* Vltra quã satis est. *Quod vitium dicitur, crescere in caput.* Separatum est. *Vt si quis contra paricidam dicturus esset, multa diceret de furto.* Aut, quo profecto nihil. *Aut etiam, quod nimia diligentia, aut artificio excogitatum videtur.*

De exordio quædam in genere iudiciali. Cap. VI.

Dictum est de exordio in commune, restat vt breuiter, si quid in singulis generibus in exordiendo proprium est, adijciamus. Et vt à iudicijs incipiamus, veteres oratores diligenter id curabant, vt in genere iudiciali ex ipsis visceribus causæ sumerent exordia: iudicem conciliabant, non tantum laudando eum, sed laudem eius ad vtilitatem causæ suæ coniungentes, allegando pro honestis dignitatem illi suam, pro humilibus iustitiam, pro infelicibus misericordiã, pro læsis seueritatem, & similiter cætera: metum nonnunquam amouebant, vt Cicero pro Milone, ne arma Pompeij, contra se disposita, putarent, laborauit: nonnunquam adhibebant, vt idem in Verrem facit: dabant etiam operam, ne ostentarent in principijs curam. Non semper autem exordio vtebantur, sed in honestis, in paruis etiam atque frequentibus causis ab ipsa re, omisso exordio, incipiebant.

De Orat. Quint. li. 4 ca. 1.

Ari. Rhe. li. 3. c. 14. Quin. lib. 4. ca. 1. Cice. de orat. 2.

IN CAP. VI.

Vt in genere iudiciali. *Et me hercule negari haud potest, quin præparatio ad ipsius auditoris animum alliciendum sit magis necessaria in causis iudicialibus, quã in alijs: controuersia enim, quæ iudice coram agitur, qui de rebus, ad alios spectantibus, iudicat, videtur exigere, vt quantum possumus, conemur illum bene præparare, & nobis, quantum possumus conciliare.* Ex ipsis visceribus causæ. *Huiusmodi prœmia, quæ eruta ex visceribus causæ, difficillime alij rei applicari possunt, cõparantur propositionibus Poematis Epici, Prologisq; Comœdiarum, & Tragœdiarum, in quibus breuiter fabulæ argumentum explicatur.* Sed laudem eius ad causæ vtilitatem. *Quorum exempla fusius demonstrata sunt à Bartolamæo Caualcanti Rhet. libr. 6. hunc consule.* Ne ostentarent in principijs curam. *Illud potißimum in causis iudicialibus præcipitur, vt proemia sint acuta, & grauitatis plena: præcipue vero ne securitatem aliquam præseferant, tametsi, nos voti compotes futuros, sciremus, effugiendumq; artificium omne, quo se illaqueari posse existimat iudex.*

De exordio in exornatione, & deliberatione. Cap. VII.

PRæterea, quæ de exordio dicta in genus demonstratiuum facile transferri possunt, illud est notãdum: exordia in eo esse maximè libera, vt Aristoteles existimat. Nam & longè à materia duci, & ex aliqua rei vicina possunt. In deliberatione verò sæpe nulla, vel breuia esse debent. Non enim supplex vt ad iudicem venit orator, sed hortator, atq; author. Quare cum princi-

Rhet. ad Alex. c. 31. & Quin. li. 3. ca. 8.

pio vtetur, proponere, qua mente dicat, quod velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortariq; ad se breuiter dicentem audiendum. In Part. Quint. li. 3 ca. 3.

IN CAP. VII.

Nam, & longe à materia duci. *Vt extat exordium Orationis illius, quam de laudibus Helenæ scripsit Isocrates. Quintilianus tamen quid nescio sensit de Exordijs Salustij in bello Catilinario, & Iugurtino, vt quæ nullo modo cum historia conuenire videantur.* Sæpe nulla. *Quò fit, vt minime cogamur, illa tria exordij præcepta præstare: tum quod res, de qua deliberatur, illis nota est, quibus consulimus, tum etiam, quòd hi, quibus consulitur, bene animati erga illos meritò sunt, à quibus consilium expetunt. Accidit tamen interdum, vt in hoc genere exordio vtantur oratores, vel sui causa, vt amicè, vt attentè audiantur, vel propter aduersarium, vt eius sententia refellatur, vel etiam, vt rei, de qua agitur, magnitudo augeatur, vel imminuatur: tunc enim res, non tanquam in deliberatione, sed tanquàm in iudicio tractatur.* Ab se breuiter dicentem. *Et vt omnino breuiter dicat, ab ipso danda est opera: ne diutius, quàm par sit, in re immorari videatur.*

De narratione. Cap. VIII.

In Part.

NArratio est rerum explicatio, & quædam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei. Oportebit autem eam tres habere res, vt breuis, vt aperta, vt probabilis sit: per quas efficitur, vt auditor intelligat, meminerit, credat. Erit autem breuis narratio, si constet simplicibus verbis, & semel vnaquæque res dicatur. Tū etiam si reciderimus omnia, quibus sublatis neque cognitioni quicquam, neque vtilitati detrahatur. Quin. lib. 4. ca. 2.

hatur. Non tamen inornata debet esse breuitas, alioqui sit indocta. Erit autem perspicua, si verbis vsitatis, si ordine temporum conseruato, si nó interrupte narrabitur. Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis ea, quæ narrabuntur, consentiet: si cuiusque facti, & euenti causa ponetur: si testata dici videbuntur: si cum hominum opinione, authoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta: si probitas narrantis significabitur: si antiquitas, si orationis veritas, & vitæ fides. Ciceroni vehementer placet, vt iucunda, & suauis si narratio, eamque suauem esse narrationem ait, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, quæ interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.

In Part. & 2. de orat. & Quin. li. 4. ca. 2.

IN CAP. VIII.

Constituendæ fidei. *Icciro] verisimilis esse debet, quo plus fidei à iudice adhibeatur: nam hæc virtus si desit, parum aliæ duæ prosunt: immo totius causæ fundamentum euertitur.* Auditor intelligat. *Iccirco aperta esse debebit.* Meminerit. *Ob id breuis erit.* Credat. *Et hac de causa probabilis.* Erit autem breuis. *Breuitatem eam intellige, quæ rem non longius deducit: sed inde, vnde satis sit iudicem docere, & causæ vtilitati conueniet. Bellum Cyprium illatum est, postquam Veneti, qui Cypro iure optimo dominabantur, insulam illam [Turcarum imperatori, per legatos repetenti, denegarunt.* Erit autem perspicua. *Habes illam, quæ in Andria de Pamphilo recensetur: qui cum ex Ephæbis excessisset, potestasq; ei liberius viuendi esset, consuetudinem habens cum ijs, qui Chrysidem amabant,*

mabant, paullatim Glycerij amore, quæ soror Chrysidis habebatur, captus est. Sed non est ignorandum, si causa ipsa nos cogat, longiores in narrando esse, vtemur ijs remedijs, quibus pro Cluentio Cicero vsus est: quæ videre potes. Alia etiam remedia afferri possunt, quæ quia annotata sunt ab alijs, omittimus. Probabilis autem erit. *Homo is omnium scelestißimus, quique in Lucium semper male animatus fuerat, cum sibi plurimum vtilitatis emanaturum pro certo haberet, locusq; ei peropportunus esset, occasionem nactus illum interfecit. vbi vides, rerum circumstantiam probabilem rem facere.* Quæ interpositos motus animorum. *Cuius rei exemplum tibi illustre suppeditabit oratio contra Verrem, vbi huiusmodi artificijs Cicero Filodami mortem exposuit.*

Quando narratione vtendum est. Cap. IX.

IN iudicijs quando vtendum esset, aut non esset narratione, id erat cõsilij. Nec enim si nota res esset, nec dubium erat, quid gestum esset, narratio adhibebatur, nec si aduersarius narrauerat, nisi si refellebatur. In exornatione verò narratio non erit vlla, quæ necessariò consequatur exordium, sed si qua inciderit, cũ aliquid eius, de quo loquemur, nobis narrandum sit, cum laude, aut vituperatione, præceptio narrandi de hoc loco petitur. Nec multum sane sæpe in deliberatione narrãdum est: est enim narratio præteritarum rerum, aut presentium: suasio autem futurarum. Priuata certe deliberatio narrationem nunquã exiget eius dũtaxat rei, de qua dicẽda sentẽtia est, qa nemo ignorat id, de quo cõsulit: extrinsecus possunt pertinẽtia ad deliberationẽ multa narrari.

De Ora. 2.

Arist. Rh. 3. c. 16. Ci. in Parti. Quin. l. 3. ca. 8.

In concionibus sæpe est etiam illa, quæ ordinem rei docet necessaria. Nunc ad confirmationem transeamus.

IN CAP. IX.

Nec enim narratio adhibebatur. *Quod fecit Cicero in oratione pro C. Rabirio, Perduellionis reo, vt annotauimus in nostris Scholijs in eamdem orationem.* Narratio non erat vlla. *Videtur enim oratio tota posita in narratione, hoc est, facti expositione: quo in genere, (vt etiam alibi annotauimus) multum valent amplificationes, quarum tibi exempla præbebit oratio, quã habuit Cicero post reditum in Senatu.* Nec multum sæpe in deliberatione. *Sanè in Orationibus Demosthenis perraras admodum narrationes legimus: accidit tamen interdum, vt ante acta commemoremus, quò, quæ consecuta sunt, facilius intelligantur: id prudentißime à Cicerone factum videmus in Oratione pro lege Manilia.* Quæ ordinem rei docet necessaria. *Et, quæ exponit id, vnde consultatio oritur. huiusmodi tamen narratio, vt plurimum breuis, & simplex, nec vllis circumstantijs aut amplificationibus tractatur, vt ex narratione apparet quæ legitur in Oratione pro lege Manilia. Atque, vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa oritur, bellum graue, & periculosum, & quæ sequuntur. Concludamus igitur, narrationem magis propriam esse generis Iudicialis, quàm Demonstratiui, & Deliberatiui.*

Ce confirmatione. Cap. X.

De Ora. t. SEquitur confirmatio, in qua suggerenda sunt firmamenta causæ coniuncta, & in firmandis con-

contrarijs, & nostris confirmandi?, namque vna in causis ratio quædam est eius orationis, quæ ad probandam argumentationem valet: ea autem & confirmationem, & reprehensionem quærit. Sed quia nec reprehendi quę cõtradicuntur, possunt, nisi tua confirmes: neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas: idcircò hæc & natura, & tractatione, & vtilitate coniuncta sunt. Tota autem spes vincendi, ratioque persuadendi in hac parte posita est. Nam cùm argumenta nostra exposuerimus, contrariaque dissoluerimus, absolutè nimirùm erit à nobis oratoris muneri satisfactum. Vtrunque igitur poterimus commodè facere, si constitutionem causæ cognouerimus. Ad Herẽ. lib. I.

IN CAP. X.

Firmamenta causa coniuncta. *Est enim confirmatio propositionis probatio.* Iccircù hæc natura, & tractatione. *Sed dum nostra probamus, ea pars orationis propriè appellatur confirmationem redarguimus contraria, reprehensio dicitur. docet id Cicero in Partitiõibus.* Oratoris muneri satisfactum est. *Atque ita persuadere iudici poterimus, vt propositioni assentiatur.*

Quid sit status. Cap. XI.

STatus est quæstio, quæ ex prima causarum conflictione nascitur, vt sit intentio accusatoris, Sylla coniurasti cum Catilina: depulsio verò defensoris: non coniuraui: Ex hac prima conflictione nascitur illa quæstio, coniurauerítne Sylla cum Catilina? quam quæstionẽ, vel statum, vel constitutionem oratores appellant. Status autẽ appellatio dicitur ducta vel ex eo, quòd ibi

Quinct. li. 3. ca. 6. Status orationis pro Sylla.

ibi ſit primus cauſæ congreſſus, vel quòd in eo cauſa conſiſtat.

IN CAP. XI.

Status eſt quæſtio. *Cuius cognitio vt maximè neceſſaria eſt, ita, quæ declaretur, difficillima, tum ob rei naturam, tum etiam ob controuerſiam, quæ eſt inter Rhetores, qui non modò de re ipſa, ſed etiam de numero, & nominibus diſſentire videntur.* Cauſarum conflictione naſcitur. *Cùm ſcilicet alter apponit, alter verò contradicit.* Vel conſtitutionem appellant. *Appellant etiam quæſtionem: alij, quòd ex quæſtione apparet: nonnulli cardinem, & caput cauſæ: in Scholis etiam manſit nomen ſubiecti, pro materia & ſumma operis.*

Quot ſint ſtatus. Cap. XII.

Cicer. in Topic. & in Part. Quin. lib. 3. cap. 6.

CVM tria ſint, quæ in omni diſputatione quærantur, ſit nec ne, quid ſit, quale ſit, fit vt conſtitutiones quoque tres ſint. Prima coniecturalis, in qua: ſit nec ne, quærimus, vt, ſit nec ne inſidiatus Miloni Clodius? ſecunda autem nominis vel finitionis, cùm quid ſit aliquid, & quo nomine afficiendum inueſtigamus, vt, Fueritne Cæſar Rex, an tyrannus, an dictator? tertia, in qua de vtilitate, honeſtate, æquitate diſſeritur, deque his rebus, quæ his ſunt contrariæ, vt Rectè ne fecerit Romulus cùm fraterm interfecit? eius conſtitutionis partes ſunt duæ, quarum vna abſoluta, altera aſſumptiua nominatur.

Ad Herē. lib. 1. Cicer. de Inuen. li. 1. & Quintil. lib. 7. cap. 4.

Abſoluta eſt, cùm id ipſum, quod factum eſt, vt aliud nihil foris aſſumatur, rectè factum eſſe dicemus. Ea eſt eiuſmodi: Pater filium verberauit, is iniuriarum cum patre agit, pater nihil aliud defen-

defendit, nisi licere filium à patre verberari. Assumptiua est, cùm aliquid necessariò foris assumitur, vt iure factum esse aliquid confirmemus: vt Milo damnetur, nisi foris assumat, à Clodio sibi esse factas insidias. Hæ tres constitutiones, & in exornatione, & in deliberatione, & in iudicio reperiuntur.

IN CAP. XII.

Prima Coniecturalis. *Coniecturis enim elicere conamur veritatem, atque in hac quæstione commouemur testibus, tormentis, caussis efficientibus, effectis, antecedentibus, consequentibus, adiuncto, contrarijs et repugnantibus.* Cùm Quid sit aliquid. *Vt, sit ne furtum, an proditio. nam, & primùm oportet subesse rem, de qua ambigitur, eam vbi esse constiterit, sanè sequitur, vt quæratur, quid sit: hoc verò cognito, superest, vt inuestigemus, qualia sit. In primo valet coniectura, in altero definitio, in tertio consecutio, qua quærimus, quid cuiusq; rei vim, & naturam consequatur, neque ijs cognitis plura requiruntur. hinc verò plerique colligunt, tres tantùm esse status.* Quo nomine afficiendum. *Natura enim, & rerum substantia illarum definitione illustratur. Iccircò in quæstione hac vtemur propria nominis significatione, verbis coniugatis partium enumeratione, genere, & specie.* Tertia in qua de vtilitate. *Hæc constitutio iurisdictialis etiam appellatur, & à Græcis δικαιολογίσμον, quia de iure disputat. in hac autem quæstione dominantur leges, scripta, similitudines, dißimilitudines, res iudicatæ, & auctoritas.* Et in exornatione. *Accidit interdum tamen, vt vbi non est, qui contradicat, ibi nullo statu opus sit: vt cùm gratias agimus, cùm*

con.

consolamur, in Orationibus nuptialibus, & funebribus.

De ratione, firmamento, & iudicatione. Cap. XIII.

Cicero in Partit. ad Her. lib. 1. de inuen. libr. 1. & Quin. lib. 3. cap. 11.

Rationem appellant oratores eam, quæ affertur à reo depellēdi criminis causa, quæ nisi esset, quod defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem, & ex firmamenti conflictione, & quasi concursu, quæstio exoritur quædam, quam iudicationem appellant, in qua, quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri solet, hoc modo: Orestes cùm confiteatur, se interfecisse matrem, nisi attulerit rationem, peruertit defensionem; ergò affert eam: Illa enim, inquit, patrem meū occiderat. Tum contra rationem defensoris firmamentum ab accusatore subijcitur, hoc modo: Sed non abs te occidi tamen, neque indamnatam pœnas pendere oportuit. Ex coniunctione rationis, & firmamenti iudicatio constituitur, hoc modo, Cùm dicat Orestes, se, patris vlciscendi causa, matrem occidisse, rectúmne fuerit, à filio iudicio Clytemnestram occidi? Ergò hac ratione iudicationem reperire conuenit, ad quam omnem rationem totius orationis cōferri oportebit. Nam primus status diffusam habet quæstionem, rationum verò, & firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem. Ea in coniectura nulla est, nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem & prima quæstio, & disceptatio est extrema.

IN CAP. XIII.

Orationem appellant Oratores. *Hanc autem quodruplicem esse posse, sciendum est: prima fit eo pacto, quæ hic declaratur ab auctore: appellatúrque assumptiua ex aduersarij facto: Secunda est, cùm collocamus rationem in vtilitate aliqua, seu publica, siue priuata, diciturq́; compensatio: Tertia est, cùm nos à causa liberamus, non eam quidem in aduersarium conferentes, sed in alteram personam, vt in Principem, & in magistratum, & appellatur hæc, culpæ liberatio: Quarta demùm, cùm factum concedimus, idq́; excusamus, veniam deprecantes, quæ appellatur concessio. Vide Aristot. Rhetor. tertio, vbi de Exordio agit.* Orestes cùm confiteatur. *Non ignorandum est, Controuersiam hanc assumptiuam ex aduersarij facto appellari.* Iudicatio constituitur. *Quæ diuersis nominibus vocatur à Græcis κρινόμενον, à Cicerone in Topicis, quâ de re agitur: in Partitionibus verò, Disceptatio.* Diffusam habet quæstionem, rationum verò, &c. *Vt in coniectura. Cœperit ne pecunias Decius: in Definitione, Minuerit ne maiestatem Norbanus: in Aequitate: iuréne occiderit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent, ex arguendo, & resistendo lata, vt dixi, & fusa sunt: sed rationum, & firmamentorum, & quæ sequuntur.* Et disceptatio est extrema. *Vt, factum est, factum non est, factúmne sit. horum autem verborum sensus videtur hic esse. In coniecturali Constitutione quia ratio non est (factum enim non conceditur) non potest ex deductione rationis nasci iudicatio. Ergò iudicatio inuenietur tantùm in constitutione definitionis, & qualitatis.*

Quo

Quo ſtatu quæſtio, quæ in ſcripto exiſtit, contineatur. Cap. XIIII.

SAEPE ex ſcripti interpretatione exiſtit contentio, quod quatuor modis poteſt contingere. Aut enim defenditur non id ſcriptum dicere, quod aduerſarius velit, ſed aliud: id autem contingit, cùm ſcriptum ambiguum eſt, vt duæ differentes ſententiæ accipi poſſint. Tum opponitur ſcripto voluntas ſcriptoris. Tum ſcripto ſcriptum contrarium affertur: aut ex eo, quod ſcriptum eſt, aliud quoque, quod ſcriptum non eſt, ducimus. Ita ſunt quatuor genera, quæ controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt, ambiguum, diſcrepantia ſcripti & voluntatis, ſcriptura contraria, ratiocinatio. Ambiguũ hoc modo, Teſtamento quidam iuſſit, poni ſtatuam auream haſtam tenentem: quæritur, Statua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta aurea in alterius ſtatua materiæ. Ex diſcrepantia verò ſcripti & voluntatis eiuſmodi oritur cõtrouerſia. Lex eſt, Peregrinus ſi murum aſcenderit, capite puniatur: cùm hoſtes murum aſcendiſſent, peregrinus eos depulit, petitur ad ſupplicium, ille voluntatem allegat ſcriptoris. Ex contrarijs ſcripturis hoc modo exiſtit contentio: lex eſt, Vir fortis optato præmium, quod volet: & altera lex eſt, Magiſtratus ab arce ne diſcedito: Magiſtratus, qui fortiter egit, optat hoc pręmium, vt ab arce liceat diſcedere: lex illi poſterior opponitur, ipſe verò priore ſe tuetur.

Quinct. li.7. ca.7. Cicer. lib 1 de inuẽ. Autor ad Her. lib.1.

Quin. lib. 7. cap.7.

Idem lib. 7. cap.6.

Idem lib. 7. cap.7.

In ratiocinatione verò quæritur, an vbi propria lex non eſt, ſimili ſit vtendum? vt lex eſt, lanas Tarento vehere non liceat: quidam oues vexit, & ſi nulla lex certa eſt, quæ factum eius nominatim

Idem lib. 7. cap.8.

natim prohibeat, tamen illa, quæ ſimilis eſt, accuſatur. Itaque ex eo, quod certum eſt, id, quod incertum eſt, ducit hæc controuerſia: quod quoniam ratiocinando fit, nomen etiam ratiocinationis accepit. Hæc quatuor controuerſiarum genera, quæ in ſcripto naſcuntur, ſemper in qualitatis ſtatum cadere cum Cice. debemus exiſtimare, 2. de Orat. vt in primo genere diſceptetur, Vtram æquum ſit ex differentibus ſententijs accipi: in ſecundo verò, Verba ne plus, an ſententia valere debeant: in tertio, Vtram legem ſequi ſit iuſtius: in quarto, Oporteátne legem ſimilem ad factum, quod venit ſine lege in iudicium, accommodare.

IN CAP. XIIII.

Quod quatuor modis eſſe poteſt. *Cicero tamen primo libro de Inuentione, quinque ait eſſe huius controuerſiæ genera.* Ita ſunt quatuor genera. *Libro ſecundo de Oratore, vnam tantùm facit conſtitutionem legitimam, quod ambiguum appellat: atque ſub eo, ait, ſcriptum, & ſententias, atque contrarias leges contineri, totumqúe hoc genus ad conſtitutionem qualitatis referri.* Ambiguum hoc modo. *Ex ambiguo controuerſiæ oriuntur: cùm ex aliquo verbo, quod ſit generale, aut ambiguũ, diſſenſio gignitur. Cùm itaque ambigua definitionibus, & diuiſionibus explicari ſoleant, in hoc ſtatu vtemur locis dialecticis.* Ex diſcrepantia ſcripti, & voluntatis. *Iuuerint adprime in hac diſcrepantia loci, ex Dialectica ſumpti. ex cauſis ſiquidem, ex effectibus æquitas, iusq; ipſum elicitur, vtiléque fuerit, circunſtantias excutere, afferunt ſiquidem lumen, & ex ijs ſententiam inuenire conamur, inde verò iudicamus, conſentiantne ſcriptum, & voluntas.*

tas. Ex contrarijs ſcripturis. *In hac diſceptatione attendendæ ſunt regulæ, nempe: inferiorem legem ſuperiori cedere, ſpecialem generali, humanam diuinæ.* In ratiocinatione. *In foro multa à Iuriſperitis ex ſimilibus iudicantur: vbi enim eos certa lex deficit, controuerſiam ad ſimilia, & ad ea, quæ cognationem quandam videntur habere, referunt, hancque illis connectunt.*

Quomodo ſtatus tractetur. Cap. XV.

IVdicatio cùm eſt cõſtituta, propoſitio eſſe debet oratori, quò omnes argumentationes repertæ ex inueniendi locis conijciantur, quòd ſatis eſt ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos tanquàm theſauros aliquos argumentorum notatos habet. Quibus in mente & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendũ poſita excitatis, nihil erit, quòd in vllo dicendi genere, oratorem poſſit effugere. Diligenter tamen ordinem, collocationemque argumentorum attendet, & curabit, vt firmiſſimum quodq; ſit primum, dum ea, quæ excellant, ſeruentur ad extremum, ſi quæ erunt mediocria (nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbã conijciantur. Reliquum nunc eſt, quando de argumentorum locis, & cauſarum conſtitutionibus dictum eſt, vt rationem, qua expoliuntur ab oratore argumẽta, quorum propria ſedes eſt in confirmatione, accuratè doceamus.

De Ora. 2.

IN CAP. XV.

Diligenter tamen ordinem. *Quod diligenter feciſſe videtur Cicero in Oratione pro Milone: hoc autem*

tem fieri conuenit, cùm argumenta ita annexa sunt, vt ab aliis pendere videantur: nam in iis, quæ disiuncta sunt, pro arbitrio nostro iis vtimur. Si quæ erunt mediocria. *Iccircò in mediam turbam coniicimus, vt ab vtrisque, primis scilicet, & vltimis vires sumant, & auctoritatem, ab illisq; fulciantur. Hoc fecisse Demosthenem in Oratione de Corona annotauit Libanius in argumento eiusdem orationis: ait enim,* δεῖ γὰρ ἄρχεσθαί τε ἀπὸ τῶν ἰσχυροτέρων, καὶ λήγειν εἰς ταῦτα. *A firmioribus incipiendum est, & in iisdem finis faciendus.*

De argumentatione. Cap. XVI.

ARgumentatio est argumenti, vel explicatio, vel artificiosa expolitio. Sed ea cõficitur, cùm ex locis, de quibus superiori libro dictum est, aut certa, aut probabilia sumpseris, ex quibus id efficias, quod ad dubium, aut minus probabile per se videtur: dubiis enim probari dubia quomodo possunt? Pro certis autem habemus primũ pro sensibus percipiuntur, vt quæ videmus, audimus: deinde ea, quæ communi hominum opinione, atque sententia sunt comprobata: vt, afficiendos esse honore parentes. Præterea, quæ legibus cauta sunt, quæ persuasione, si nõ omnium hominum, eius certũ ciuitatis, aut gentis, in qua res agitur, in mores receptæ sunt: si quid inter vtranque partem conuenit: si quid probatum est, denique, cuicunque aduersarius non contradicit. Probabilium autem genera sunt tria: vnum firmissimum, quod ferè accidit, vt, liberos à parentibus amari: alterum velut propensius, eum, qui rectè valeat, in crastinum peruenturum: tertium tantùm nõ repugnans, in domo furtum fa-

Cicero in Part. Cic. lib. 1. de inuen. Quin lib. 5 cap. 12. Idem lib. 5. cap. 10.

ctum ab eo, qui domi fuit. Ad probandum verò id, quod est dubium, hoc modo id, quod probabile est, potest adhiberi: sit dubium, an Catilina coniurarit, sumatur illud, quod credibile est. Homines æris alieni magnitudine oppressos, eos denique egentes, & sumptuosos, facilè adduci, vt coniurent: Iam id, quòd dubium erat, efficitur probabile: Catilinam coniurasse. Sed hæc oratores non tenuiter, more Dialecticorum, sed copiosissimè expoliunt. Dicitur autem illa argumenti expositio argumentatio, de cuius quatuor partibus ratiocinatione, inductione, enthymemate, & exemplo breuiter, & enucleatè differemus.

IN CAP. XVI.

Argumentatio. *Argumentandi duo à Cicerone ponuntur genera: quorum alterũ ad fidem directò spectat, alterum se inflectit ad motum: illud argumentatio propriè dicitur, hoc verò amplificatio* De quibus superiori libro. *Capite 14. vbi de locis insitis, vel assumptis.* Probabilium autem genera *Probabile ita definitur, quod ita videatur hominibus, & de eo opinantur. Scias autem id, quod singulari homini probabile est, illius nullam haberi rationem, sed id ab arte excludi: nam vt scribit Aristot. Rhet. primo, capite octauo, Nulla ars intendit singulare.* Inductione. *Enumeratio à quibusdam dicitur.*

De ratiocinatione. Cap. XVII.

Cic. de Inuen. lib. 1. Quin. lib. 5. c. 14. ad Her. li. 2.

RAtiocinatio, quam & syllogismum, & epicherema Græci vocant, constat propositione, cũ qua eius ratio iũgitur, deinde assumptione, & eius probatione, postremò complexione. Pro-

ne. Propositio est, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet ratiocinationis. Propositionis verò approbatio est, per quam breuiter id, quod expositum est, rationibus firmatum probabilius, & apertius fit. Assumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis approbatio, per quam id, quod breuiter sumptũ est, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur, hoc modo sit propositio: Melius gubernantur ea, quæ consilio gerũtur, quàm quæ sine consilio administrantur: deinde subijciatur ratio, Exercitus enim is, cui præpositus est sapiens imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is, qui stultitia, & temeritate alicuius administratur. Assumptio deinde ponitur. Nihil autem omninm rerum meliùs, quàm omnis mundus administratur. Assumptioni probatio adiungitur: Nam & signorum obitus, & ortus definitum quendam ordinem seruant, & annuæ commutationes non modò semper eodem modo fiunt, verùm ad vtilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ. Tertio loco inducenda est complexio, quæ id infert, quod ex superioribus partibus cogitur, hoc modo: Consilio igitur mundus administratur. Hæc vberius, & doctius dicuntur in oratione, sed præcipiendi ratio hanc simplicem, & apertam breuitatem requirit.

IN CAP. XVII.

Syllogismum vocant. *Hic, vt etiam Inductio, philosopho magis conuenit: at Enthymema, & Exemplũ*

Oratori. Definitur aut Syllogismus à Gellio libro 15. ca. 26. Oratio, in qua consensis quibusdam, & concessis, aliud quid, quàm quæ concessa sunt, necessariò conficitur. Vt omni corpori nobiliori nobilior conuenit locus. Sed ignis est corpus nobilius terra: Ergò & illi nobilior conuenit locus. Breuius alij sic: Syllogismus est argumentatio, in qua ex propositione, & assumptione sequitur conclusio. Propositio est. *Propositio vocatur Pronunciatum, Proloquium, Propositio maior, Intentum, Expositio.* Assumptio. *Propositionem minorem, Assumptionem, Assumptum vocant.* Complexio. *Conclusio, & intentio dicitur: quas appellationes apposui, ne discentibus negotium facessant.*

Quot sint partes ratiocinationis. Cap. XVIII.

EX supradictis manifestum est, nihil referre, siue tripartitam, siue quinque partitam putes, esse hanc argumentationem. Commodior tamen illa partitio videtur esse, quæ in tres partes distribnta est, quod fit, si propositionem, & eius rationem vnam partem existimemus: alteram verò assumptionem, & eius exornationem, at si separes propositionem à ratione, & assumptionem ab exornatione, in quinque partes distributa erit. Cùm propositio ex se intelligitur, sine ratione assumenda est. Assumptio etiam cùm perspicua est, nullius approbationis indiget. Quòd si & propositio, & assumptio perspicuæ sint, vtraque approbatione prætérita ratiocinatione conficiemus hoc modo. Summoperè virtus expetenda est: At, prudentiam esse virtutem, in confesso est: Summoperè igitur prudentia expetenda

Cic. lib. 1. de Inuen. Quin. lib. 5. cap. 14.

Cic. de Inuen. lib. 1.

tenda

tenda est. Vitare autem similitudinem, quæ satietatis est mater, poterimus non semper à propositione ordientes, sed interdum à complexione, Ciceron: ab assumptione nonnunquàm, Part. & in lib. 1. de Inuent.

De Enthymemate. Cap. XIX.

ENthymema est imperfectus syllogismus, velut vt alij definiunt, syllogismi pars. Ratiocinatio enim tripartita est: ex tribus igitur eius partibus si vna prætereatur, bipartita fit argumentatio, quæ est enthymema, vt omnes artes sunt expetendæ, igitur expetenda est eloquentia. Intelligitur enim assumptio. Propositione verò præterita fit enthymema, hoc modo: Eloquentia est ars, igitur est expetenda. Optimum autem videtur enthymema, quod fit ex pugnantibus, quod etiam solum enthymema quidam vocant, non quòd non omnis argumentatio bipartita proprio nomine enthymema dicatur, sed vt Homerus propter excellētiam commune poëtarum nomen effecit apud Græcos suum, sic cùm omnis argumentatio bipartita enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrarijs conficiatur, acutissima, sola propriè nomen commune possidet. (Quin li. 5 c. 10. & 14; Quin. lib. 5. cap. 14. Cicero in Topic.)

Eius generis est illud Cice. Eius igitur mortis sedetis vltores, cuius vitam, si puteris per vos restitui posse, nolitis? Et illud Micipsæ ad Iugurtham apud Salustium: Quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? Enthymemate sæpius vtuntur oratores, quàm ratiocinatione: quod monuit Aristotelem, vt enthymema syllogismum oratorium esse diceret. Enthymema Quinctilia- (Pro Milo. In Iugur. Li. 1. Rhe. c. 1. & li. 1. post. c. 1. Li. 5. c. 10.)

nus commentum, aut commẽtationem interpretatur, quo nomine poſſint omnes animi cogitationes ſignificari, argumentatio bipartita ſignatur. Alij propterea credunt, bipartitam argumentationem Enthymema appellatum, quòd in animo maneat condita illa pars, quæ ſilentio eſt præterita.

IN CAP. XIX.

Enthymema. *Annotarunt quidam, Enthymema tria ſignificare, primum omnem ſententiam: deinde argumentationem, ex contrarijs concluſam, tertio Syllogiſmum imperfectum, & ita definitur à Demetrio Phalereo, qui etiam differentias ſeptem aſsignat inter Enthymema & Periodum.* Omnes artes ſunt expetendæ. *Omnis virtus eſt amabilis, ergò Iuſtitia eſt amabilis.* Intelligitur aſſumptio. *Quæ iccircò prætermittitur, quòd quum quid perſpicuum eſt, id dicendum non eſt, auctore Ariſtotele. Ignorare tamen non debent adoleſcentes, quum, quod ſubticetur, minime notum eſt, nos enthymematica argumentatione vti non poſſe.* Optimum autem Enthymema. *Quandoque etiam interdum dum properat Orator, in Enthymemate relinquit concluſionem auditorum cogitationi: Cicero, quem intelligimus diuitem? cui tanta poſſeſsio eſt, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus ſit: non igitur eſt Craſſus diues.* Eius igitur mortis. *Hoc ad Syllogiſmum ita poteris reducere. Non debent iudices eius mortis eſſe vltores, cuius vitam, etiam ſi poſsint, reſtitui nolint: Vos etiam, ſi poſſetis Clodio vitam reſtitui, noletis, Ergò non debetis, eius mortis vltores ſedere. Illud etiam,*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Quam ratiocinatione. *Integro tamen Syllogismo vtuntur oratores, quod videre est apud veteres. Cicero quoque vsus est pro Sext. Roscio, quin & pro M Cælio vtitur inuersis partibus: nam primùm conclusionem, deinde minorem propositionem, tertio locum maiorem ponit. quamobrem iure imperfectus syllogismus appellatur.* Quæ est præterita silentio. *Quæ est aut ipsa propositio, aut assumptio propositionis: ex quo facilè apparet, vbi id subticetur, quod notum non est, ibi per Enthymema argumentari non posse. suprà etiam.*

De Inductione. Cap. XX.

Inductio est oratio, quæ rebus non dubijs captat assensionem auditorum, quibus assensionibus facit, vt illis dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus assenserint, probetur: vel, Inductio est argumentatio, quæ ex pluribus collationibus peruenit, quò vult, hoc modo; Quod pomum generosissimum? puto, quod optimum: & equus, qui velocissimus: & plura in eundem modum. Deinde cuius rei gratia illa proposita sunt: Ita hominum non qui claritate nascendi, sed qui virtute maximè excellet, erit generosissimus. Hoc genere argumentationis plurimum Socrates vsus est, propterea, quòd nihil afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quòd sibi ille dederat, qui cùm disputabat, aliquid conficere malebat. quod ille ex eo, qud iam concessisset, necessariò approbare debebat. Sed in oratione perpetua dissimile est. Et enim sibi ipsi respondet orator. Poëtæ vehementer inductione delectantur.

Cic. lib 1. de Inuen.

In Topi. Quin. lib. 5. ca. 11.

Aristo. 13. Meta c. 4. Cic. de Inuen. lib. 1.

Sed mxaimè omnium eam frequẽtauit Ouidius, apud quem & multa, & præclara sunt exempla:

nos vno erimus contenti. Probat ille ad consolandam vxorem hac inductione, asperas res, & tristes segetem, ac materiam esse gloriæ.

Trist. lib. 4. ele. 3.

Materiamq́ tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, inq́ bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq́ malis.

Hoc in genere duo sunt diligenter cauenda, primum vt illud, quod inducemus pro similitudine, eiusmodi sit, vt sit necesse sic concedi. Deinde, vt illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, simile his rebus sit, quas res, quasi non dubias antè induxerimus.

IN CAP. XX.

Inductio est. *Vel tu dic: Inductio est oratio, quæ ex rebus non dubijs, & similibus illi rei, de qua agit orator, cõcessis, cogit fateri, rem ita esse: aut ita erubescere, vt se conuictum esse fateatur. Iulius Cæsar Scaliger ta. Inductio est, cùm ad aliquid probandum plura superinducuntur: alij dicunt, esse argumentationem, quæ affirmando, aut negando à particularibus ad vniuersalia peruenimus, cùm ex omnibus speciebus, genus concluditur: aut ex omnibus partibus totum hanc parum accommodatam huic oratoriæ facultati scribit Aristotel.* Hoc genere argumentationis. *Vide Quintilianum lib 5, cap. 11. Cicero etiam scribit Socratem plurimum vsum Inductione, vt Aristoteles Syllogismo delectatus est.* Ouidius apud quẽ & multa. *Illa fortasse cæterũ*

se cæteris illustrior est; quam apud eundem leges de Pōto lib. 2. Elegia nona: vbi Coti persuadere conatur, regiam esse rem, lapsis succurrere eam legendam censeo. Non dubias ante induxerimus. *Tria dat Cicero pulcherrima de Inductione præcepta. quorum duo hic ponuntur à Cypriano: adde tu tertium: Vt ne intelligatur, quò spectent illæ primæ inductiones, & ad quem sint exitum peruenturæ: id mihi sanè aptißimum ad illaqueandum videtur. Non est autem ignorandum, Inductionem perraro locum habere in facultate Oratoria, id fortasse accidit, quod Inductio vniuersale probet, hæc autem facultas plerunq; particulare complectitur.*

De exemplo. Cap. XXI.

EXemplum est inductio imperfecta, vel quod idem est, Inductio Rhetorica. Cicero pro Milone, Negant, intueri lucem esse fas ei, qui, ab se hominem esse occisum, fateatur: in qua tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortissimi viri, qui nondum libera ciuitate, tamen Pop. Rom. comitijs liberatus est, cum, sua manu sororem esse interfectam, fateretur. Aliqui Aristotelem, summum in omni scientia virum, temere ausi sunt reprehendere, quòd exemplum genus argumentationis fecerit: sed magnus ille vir, & acuta mente præditus, maius quiddam perspexit: nimirum exemplum esse argumentum quidem à similitudine, sed in argumẽtatione positum, efficere nouum argumentationis genus, quòd à ratiocinatione, & inductione sine controuersia differt. Enthymema autem esse non potest, cum in enthymemate semper generale aliquid vel ponatur, vel intelligatur: in exemplo

Ari. Rh 1. t. 5. & li. 2. cap. 20 Quin. li. 5 ca. 11.

Locis supra dictis & l. 2 pri or c. 24. & li. 8. post ca. 1.

plo verò ex vna re singulari alia inducatur. Vnde fit, vt sit quartum argumentationis genus, quod ea ratione ab inductione separatur, qua Enthymema à syllogismo disiungitur.

IN CAP. XXI.

Exemplum est. *Aristoteles definit, esse argumentationem, in qua vnum ex altero deducitur, atque colligitur, propter mutuam quandam similitudinem, atque consensum, qui in vtroque reperitur.* Inductio imperfecta. *Ob id, hoc inter ipsos interest, quod inductio plures, quibus id efficiat, quod probandum est, colligit partes.* Negant intueri lucem. *Si propter matrimonia violata, vrbes sunt euersæ, quid fiet adultero?* Nempe in ea, quæ primum. *Hæc argumentatio videtur sumpta à specie specialissima, vt genus concludat: Scire autem debemus, exemplum componi ex loco à pari, à maiori, à minori, à præiudicijs, auctoritateq́;.* In exemplo vero ex vna re singulari. *Scipio Nasica Tiberium Gracchum seditiosum virum interfecit. poterit etiam Milo Clodium interficere, virum seditiosum. hoc exemplum est é re præterita: nam sciendum est, Aristotelem duas exemplorum species constituere: alteram qua res gestas commemoramus, alteram, quæ nos ipsi fingimus. hanc in duas diuidit, in similitudinem, & Apologos, Vide eumdem Rhetoricorum secundo.*

De Epicheremate. Cap XXII.

QVamuis argumẽtationis partes omnes sint iam expositæ, tamen operæ precium fuerit, quid Epicherema, q.d Sorites, quid Dilemma sit explicare. Nam authores, & quidem gra-

grauissimi, eorum mentionem fecerunt. Ea vbi explicata fuerint, facile intelligitur, cur nouæ argumentationis partes non debeant existimari. Epicherema igitur Græci aliquando argumentationem vocant, nonnunquam eam argumentationis partem, quam Cicero ratiocinationem appellauit, de qua paulò ante dictum est. Aliquando etiam epicherema vocant breuiter comprehensam ratiocinationem, cuius omnes partes in vnam conferuntur, hoc modo: sine causa dominũ seruus accuset? Similis enim est locus apud Ciceronem pro rege Deiotaro, quem seruus apud Cæsarem accusabat: En crimen, en causa, cur Regem fugitiuus, dominum seruus accuset. Vbi vehemens argumentum Epicheremate inclusum, & inuolutum est. Erit autem absoluta ratiocinatio, si hoc modo euoluerit: Sine causa non debet dominum seruus accusare: hic medicus est seruus Deiotari: non igitur debet sine causa dominum accusare. Pro rege Deiota.

IN CAP. XXII.

Epichirema. *Epichirima pronuntiandum esse cõtendit Iulius Cæsar Scaliger, & ait esse, cum probatione tam maioris, quàm minoris apponuntur.* Ea vbi explicata fuerint. *Cui non satis fuerint hæc, quæ hoc capite afferuntur, is consulat Quint. lib. 5. ca. 14.*

De Sorite. Cap. XXIII.

SOrites contra multas argumentationes aceruatim conuoluit, atque complectitur, vndè nomen etiã inuenit. Cicero scripsit de eo in libris de diuinatione his verbis: Si necesse sit, inquit, latino verbo liceat, acerualem appellare, sed nihil op⁹ est: vt enim ipsa philosophia, & multa verba Græcorũ, sic sorites satis latino sermone trit⁹ est. Lib. 2. 3. Offic.

Pul-

Pulchrum in primis est eius exemplum apud eũdem Ciceronem: atque si etiam hoc natura præ-
In 5. Tusc. scribit, vt homo homini quicunque sit, ob eam ipsam causam, quòd is homo sit, consultum velit; necesse est, secundum eandem naturam, omnium vtilitatem esse communem: Quod si ita est, vna continemur omnes, & eadem lege naturæ, idque ipsum si ita est, certe, violare alterum lege naturæ, prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum. Sed apertissimè concludit sorites ille, qui est in quinta Tuscul. propositum enim erat probare. Quod esset honestum, id solum esse bonum, id autem sic probat: Etenim quicquid sit, quod bonum sit, id expetendum, quod autem expetendum. id certè approbãdum, quod verò approbandum, id gratum, acceptumq́ue habẽdum: Ergo etiam dignitas & tribuenda est. Bonũ igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, vt quod sit honestum, id sit solum bonum. In quo sorite cum per sex quasi gradus ad complexionem perueniatur, quinque ratiocinationes inclusæ sunt.
Cic. in Acad. Sed hoc argumentandi genus sæpe solet esse fallax, atque captiosum, dum enim minutatim, & gradatim multa adduntur, periculossima respondenti tela texitur: retexere igitur oportet, & seorsum singula considerare, sic facilius vniuersa frãgentur. In hoc disputandi genere frequentes fuerunt Stoici & Zeno, qui eorum inuentor, & princeps fuit. Sed maximè omnium illo delectatus dicitur Chrysippus, & Socrates inductione.

IN CAP. XXIII.

Sorites. *Hic ab Aristotele Prior. Analiticorum li. 1. cap. 26. dicitur prosyllogismus, eo quod ex pluribus ratiocinationibus, & Syllogismus constet.* Atque si etiam hoc

hoc natura. *Ex plutarcho ait Themistoclis filius, quicquid mihi placet, placet & matri: quicquid matri, placet, & Themistocli: quicquid Themistocli, placet & populo Atheniensi, ergo mihi quicquid placet, placet populo Atheniensi, hoc perraro vtuntur Oratores.* Delectatus dicitur Crisippus. *Qui ob id à Persio dicitur aceruus Crisippi, vnde nonnulli soritem aceruationem appellant.*

De Dilemmate. Cap. XXIIII.

Dilemma est, in quo vtrum concesseris, reprehenditur. Cicero patriam cum Catilina sic agentem inducit: Quam ob rem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, vt tandem aliquando timere desinam. Et in epistola ad Quintum Fratrem: Si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas. Dictum est autem dilemma: quòd ita vtrinque premat, ac vrgeat, vt ex alterutra parte capiat aduersarium, qua de causa cornutus etiam syllogismus vocatur: sic enim argumẽtationis cornua in eo disponuntur, vt qui alterum effugerit, in alterum incurrat: Cicero complexionem appellat. Et si vera est, nunquam reprehendetur: sin falsa, duobus modis diluetur, aut conuersione, aut alterius partis infirmatione. Cum viderem, inquit Varro apud Ciceronem, philosophiam Græcis literis diligẽtissimè explicatam, existimaui, si qui de nostris eius studio tenerentur, si essent græcis literis eruditi, Græca potius, quàm nostra lecturos: sin à græcorum artibus disciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ sine eruditione græca intelligi non possunt: Itaque ea scribere nolui, quæ nec indocti intelligere possent, nec docti

Cic. de inuent. 1. Orat. 1.

De Inuẽ. lib. 1.

In Acad.

docti intelligere curarent. Hoc dilemma deinde Cicero in eum conuertit hoc modo: Imò verò & latina legent, qui græca non poterunt, & qui græca poterunt, non contemnent sua. Veterum scriptis celebrata est conuersio ea, qua Euathlus, discipulus Protagoræ, præceptoris dilemma elusit.
Gel.l. 5.c. 10. Alterius partis infirmatione reprehenderetur, si diceret Cicero: Et si doctis minus esset necessarium, tamen indoctis latinè scribendo consuli debere. Non est autem, cur quisquam existimet, cōplexionem genus esse argumentationis, à quatuor illis, de quibus supra dixi, diuersum. Est enim ratiocinatio imperfecta, quæ à duabus partibus contrarijs ducitur, cui si assumptionem subiunxeris, efficies ratiocinationem perfectam, hoc modo: Si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa leuitas, Sed vel implacabiles sunt iracundiæ, vel exorabiles, igitur in illis summa est acerbitas, vel summa leuitas.

IN CAP. XXIIII.

Dilemma est. *Dilemma est argumentum ex duobus membris repugnantibus constitutum.* Et in Epistolam ad Q. fratrem. *Et hoc. Si formosam duxeris vxorem, habebis communem, si deformem molestam.* Veterum scriptis celebrata. *Est & illud apud Aristotelem lib. 2. Rhet. quo vsa est mater. Fili, nulla tibi, quæso, res cum populo sit. neque in concione verba facere studeas. Nam si iusta dixeris, homines te odio prosequentur: si vero iniusta, Deos offendes. Quod ita conuerti potest. Immo verò, mater, concionari oportet: nam si iusta dixero, Deos mihi conciliabo, si iniusta defendero, homines mihi fauebunt.*

De confutatione. Cap. XXV.

EXpositis generibus argumentationum, reliquum est, vt rationem, qua refutandæ, ac reprehendæ illæ sint, ostendamus. Refutatio dupliciter accipi potest. Nam & pars defensoris tota est posita in refutatione, & quæ dicta sunt ab aduersario debent vtrinque dissolui, & hæc est propriè reprehensio, quam cum confirmatione, vsu, & natura, & tractatione coniunctam esse, diximus. Est autem reprehensio, per quam argumẽtando aduersariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut eleuatur. Hæc fonte inuentionis eodem vtetur, quo vtitur confirmatio, propterea quòd, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari. Quare inuentionem, & argumentationum expolitionem sumptam ex illis, quæ ante præscripta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Sed, vt facilius ea, quæ contradicentur, diluere, aut infirmare possimus, obseruare debemus, aut totum esse negandum, quòd in argumentatione aduersarius sumpserit, si perspicue falsum erit: vt pro Cluentio Cicero, eum, quem dixerat accusator, epoto poculo concidisse, negat eodem die mortuum: aut redarguenda esse ea, quæ pro verisimilibus sumpta sunt. Primum dubia sumpta esse pro certis, deinde etiam in perspicuè falsis eadem posse dici. Tum ex his, quæ sumpserint, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad singula, sic vniuersa facilius frangentur.

Quin. lib. 5. cap. 13. Cice. 2. de Orat.

De Inuẽ. lib. 1.

Quin. l. 5. ca. 13.

Ci. in Par.

IN CAP. XXV.

Ac reprehẽdendæ illæ sint, ostẽdamus. *Id autẽ*

fieri

fieri poteſt, quod (vt ait Euripides) οἱ λόγοι κατακαλ[illegible]ιν λόγοις. *i. ratio rationem euertit.* Quam cum confirmatione. *Nam cum Orator hac argumentando cauſæ ſuæ faciat fidem, quæ obijci poterant, afferi in medium: reprehenſione autem obiecta diſſoluit: hinc fit, vt cum noſtra confirmemus, aliena perfringamus.* Hæc fonte inuentionis. *Cauſæ, ab Oratoribus ſuſceptæ, argumentis probantur, hæc ducuntur ex Dialecticorum locis, ex quibus ea haurit Orator, cum docet. Sed oratorum Confirmatio longè illuſtrior, & ornatior eſt, quàm illa Dialecticorum ieiuna argumentatio.* Quo vtitur Confirmatio. *Quæ ſumit materiam ex attributis negotijs & perſonis.* Aut totum eſſe negandum. *Vide Ariſtotelem Rhetor. tertio, vbi plurimos confutandi locos commemorat.* Aut redarguenda ea eſſe. *Quod plurimi interſit diſcentium Oratoriam facultatem in præceptis confutationis non hærere: hic vero quàm breuiſſime tradantur præcepta, admoneo adoleſcentes, vt Hieronymum Rhegium de Amplificanda Oratione legant. qui primum de Confutatione in vniuerſum præcipit: deinde huius partis præcipuas confutādi formas pertractat: Demum ſingulas argumentationis ſpecies edocet. Extant etiam Stephani Plaxonis in hoc genere quædam non ſpernenda. Sed præcipuè Ariſtoteles legendus eſt.*

Quomodo ſint argumentationes oratoriæ tractandæ. Cap. XXVI.

Quin. l. 5. ca. 14. IN oratione inſunt aliquando, & ratiocinationes, breuiter concluſæ, & aperta enthymemata, & inductiones, atque exempla ſubtili quadam, & breui oratione comprehenſa. Quod vt reprehen-

prehendendum non est, ita diligentissimè est curandum, ne syllogismorum, & enthymematum turba conferta oratio sit: dialecticis enim disputationibus, quàm oratorijs actionibus erit propior, ac similior; quòd longè aliter esse debet. Locuples enim, & speciosa vult esse eloquentia, quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis, & crebris, & in vnam propè formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Seratur igitur non semitis, sed campis: non vti fontes angusti fistulis colliguntur, sed vt latissimi amnes toris vallibus fluat: ac sibi viam, si quando non acceperit faciat. Adhibeatur in argumentando varietas, & iucunda quædam distinctio: figuris verborum, & ornamentis sententiarum argumentatio expoliatur. Quo fuerit enim vberior, ac suauior, eo etiam erit credibilior. Nunc sequitur, vt de Peroratione dicamus. Ci. in par.

IN CAP. XXVI.

Adhibeatur in argumentendo varietas. *Quã fieri quatuor modis posse docet Cicero in Partitionibus: Cum interrogamus nos ipsos: Cum percunctamur aduersarios: Cum imperamus: demum, Cum optamus. eodemq́; modo præcipit quatuor modos, quibus vitari possit in argumentando similitudo.*

De peroratione. Cap. XXVII.

Extrema pars orationis est peroratio, quæ diuisa est in duas partes, amplificationem, & enumerationem. Augendi autem, & hic est proprius locus in perorãdo, & in ipso cursu ora-

Ci.in Par. tionis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa. Omnes enim affectus, etiam si quibusdam videntur in procemio, atq; peroratione sedem habere, in quibus sanè sunt frequentissimi, tamen aliæ quoque partes recipiunt, sed breuiores, vt cum ex his plurima sint reseruanda.

Quin. li. 6. ca. 1.

At hic, si vsquam, totos eloquentiæ aperire fontes, licèt: hic denique efficiédum est oratori, vt non modo auditores, qui sua sponte se dant, & quo impellit ipse, inclinant, atque propendent, penitus incitentur, sed vt quietos etiam, & languentes possit vi orationis permouere.

De Orat.

In quo, & si plus est operis, tantam vim habet tamen illa, quæ rectè à bono poeta dicta est Flexanima, atque omnium regina rerum oratio, vt non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam aduersantem, & repugnantem, vt Imperator bonus, ac fortis, capere possit. Quòd vsque eo magnum est, atque præclarum, vsque eò admirabile, vt in eo penè sint omnia. Ad id autem consequendum, quæ superiore libro de amplificatione dicta sunt, valdè conducunt: Sed illud caput est, in quo optimi & grauissimi authores vna voce consentiunt, vt omnes animi motus, quos orator adhibere volet auditoribus, in ipso oratore impressi sint, atque insti. Neque enim facile est perficere vt incitentur alij, nisi is, qui dicit, ijs ipsis sensibus, ad quos illos adducere vult permoueatur. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit; sic nulla mens est, tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. Primum est igitur, vt apud eum, qui dicit valeant ea, quæ valere

Cic. de Orat. 2.
Quin. lib. 6. cap. 2.
Horat. in arte poet.

lere apud auditores, volet: afficiaturque prius, quàm afficere conetur. Nihil autem opus est simulatione, & fallacijs, vt toties omni animi motu concitetur orator. Ipsa enim natura orationis eius, quæ suscipitur ad aliorum animos permouẽdos, oratorem ipsum magis etiam, quàm quenquã eorum, qui audiunt, permouet: Miram etiam vim habet in hoc ipsum imagines rerum absentium ita complecti animo, vt eas cernere oculis, ac prę sentes habere videamur, has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Hæc, quæ dicta sunt, vera esse indicant multæ Ciceronis perorationes. vt pro milone, vbi ait. Sed finis sit, neque enim præ lacrymis iam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat. Et pro C. Rabirio posthumo: Sed iam quoniam, vt spero, fidem, quam potui, tibi præstiti Posthume, reddam etiam lacrymas, quas debeo. Et paulò post: Iam indicat tot hominum fletus, quàm sis charus tuis, & me dolor debilitat, includitque vocem. Alijs autem affectibus aliæ eiusdem perorationes sunt plenæ. Enumeratio autem nonnunquam laudatori, suasori non sæpe, accusatori sæpius, quàm reo est necessaria. Huius tempora duo sunt: si aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis, vel si frequentatis firmamentis vim est habitura causa maiorem: quæ autem repetimus, quàm breuissimè dicenda sunt; & quod græco verbo patet, decurrẽdum per capita. nam si morabimur, non iam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. Quæ autem enumeranda erunt, cum pondere aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda sententijs, & figuris vtique varianda: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriæ audi-

Quin. lib. 6. c. 2.

Pro Mil.

Pro C Rabirio Posthumo.

Ci. in pa.

Quin. lib. 6. ca. 1.

torum diffidentis. Eſt etiam in enumeratione vitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta videatur eſſe puerilis.

IN CAP. XXVII.

Quæ diuiſa eſt in duas partes. *Ariſtoteles Rhetoricorum tertio ſcribit, Perorationem quatuor ex partibus conſtare: Beneuolentia auditoris. Amplificatione, Commotione animorum, & Enumeratione: auctor autem hoc in loco Ciceronem in Partitionibus ſequitur: qui duas tantum Perorationi partes conſtituit: quæ tamen in re ab Ariſtotelis ſententia non diſſentit. Nam ſub Amplificatione beneuolentiam, & animorum commotionem comprehendit. Non eſt autem ignorandum, hæc præcipue oratori præſtanda eſſe in genere iudiciali. nam in genere Demonſtratiuo, vbi propoſitum nobis eſt delectare, docereq́ue auditorem peroratio locum non habet. Hoc docet Ariſtoteles eodem libro. vbi etiam docet, perorationem non adhiberi in omnibus cauſis iudicialibus: vt cùm parua fuerit oratio, aut res huiuſmodi. quæ facile memoria comprehendi poßit.* Diuiſa eſt in duas partes. *In orationibus tamen ſuis Cicero vſus eſt etiam conciliatione, quod cum ſit, Ennumeratio præcedit: Sequitur deinde Amplificatio, poſtremo Conciliatio. Sunt tamen, qui ſecus ſentiant, ſed certe rei natura, ita exigere videtur.* Locus in perorando. *Vt quòd in permouendis affectibus præcipua, atque adeo ſola prope dominatur Amplificatio. magis autem Iudiciali generi conuenit, quàm Delibaratiuo.* Omnes enim affectus. *Exordium, & Peroratio potißimum ad permouendos animos pertinent: vnde vetitum erat à præcone. μὴ προοιμιάζου, μηδὲ ἐπίλεγε. Sed non ignorandum*

randum est, lenius, & sedatius in exordio mouendos esse affectus, quàm in peroratione. Aliæ quoque partes recipiunt. Quarum tamen proprium est docere. Flexanima. Sapientißimus Euripides scribit, nihil esse, quod ferro, quod idem non poßit confici oratione. πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων. Intelligit autem Homerum, Platonem, Euripidem, Cicero primo, & secundo de Oratore. Neque enim facile. Si vis, me flere, dolendum est primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent. Horatius in arte Poetica. Afficiaturque prius. Quo nomine Crassus ab Antonio laudabitur. Vt mihi (inquit) non solum intendere iudicem, sed ipse ardere videaris, Cicero 2. De orat. Hinc sanè versantibus in foro palma prouenit: quod cum plerique nostræ ciuitatis non vulgaris nominis oratores intelligant, diligenter student, vt dicendo iudicium animis motum afferant, quos inter Aurelius Prandinus, quem honoris gratia nomino, maxima cum gloria floret. Rerum absentium. De misericordia loquens Cicer. de Orat. ad Brutum hæc ait: qua nos ita dolenter vti solemus, vt puerum infantem in manibus perorantem tenuerimus, vt alia in causa excitato reo nobili, sublato etiam filio paruo planogore, & lamentatione forum compleremus. Alijs autem affectibus. Qui affectus in vnaquaque causa deceant, nullo pene labore sciri potest. Reo misericordia est opus: defensor animorum laxitatem aucupatur: Accusator studet odio, quare, vt affectibus probe vti poßimus, rerum natura est consulenda, & diligenter, qui defendit, considerabit, vt ea opponat, quæ labefactare poßint ab aduersarijs opposita. Enumeratio.

ratio. *Quæ repetitio est propositionis, & potissimorum argumentorum, aut eorum, quæ dicta sunt: id ita esse, te docebit Peroratio Orationis pro lege Manilia, si qua alia.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE ARTE RHETORICA, LIBER III.

De Elocutione. CAP. I.



Ci. in or. ROXIMO libro ratio inuenta collocandi, atq; disponendi explicata est. Hic iam elocutionis rationem tractabimus, in qua oratorem excellere, cętera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inuentor, aut compositor, aut auctor hæc complexus est omnia, sed & græce ab eloquendo Rhetor, & latinè eloquens dictus est. Quin l. 8. in procœ. Cæterarum enim rerum, quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vendicat, dicendi auté, id est eloquédi maxima vis huic soli conceditur, Eloqui autem est, omnia, quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes proferre. Sine quo superuacua sunt priora, & similia gladio códito, atque intra vaginam hęrenti. Hęc itaque maximè docetur: hoc nullus nisi arte assequi potest: huc studium adhibendum: hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis ætas consumitur: hoc maximè orator oratore præstantior. Ideoque M. T. in- 2. De ora. uentionem quidem, ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris. eum autem eloquentem, id est, in eloquédo excellentem putat,

tat, qui ita dicit, vt probet, vt delectet, vt flectat. Sed probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere verò victoriæ. Hæc cum ita sint, meritò tertius hic liber, qui elocutionis præcepta continet, vt duobus superioribus vtilior est, sic etiam erit aliquanto longior. In orat.

ANNOTATIONES IN LIBER III.

IN CAP. I.

RATIO inuenta collocandi. *Erat enim hoc videndum Oratori, quid diceret, quo quidque loco diceret, nunc demum, quomodo dicat.* In qua oratorem excellere. *Difficile si quidem est, argumenta, rationesq́, ad faciendam fidem excogitatas ab Oratore, suo officio fungi posse, nisi ipsa Elocutione adiuuentur, hac enim illæ ex oratoris animo effluentes delectatione quadam in audientium animos illabuntur : ex quibus persuasio ipsa oritur, artis Oratoriæ finis.* Cæterarum enim rerum. *Nam Inuentio, & Dispositio, quæ magis ingenio, atque prudentiam comparantur, quàm arte, cæteris quoque scientijs sunt communes.* Sine quo superuacua sunt. *Res enim sine verborum lumine intelligi nequeunt.* Vt probet, vt delectet, vt flectat. *Primum humile dicendi genus, Secundum mediocre, Tertium autem vehemens exigit, quod in Oratore ad Brutum docet Cicero : in probando omnibus excellit Demosthenes, in mouendis affectibus, palmam sibi vendicat Cicero : in delectando nulli secundus Isocrates, & Xenophon.*

Quæ in elocutione spectanda sint. Cap. II.

HAEc in elocutione ſpectanda ſunt, vt latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id, quodcunq; agetur aptè, congruenterq́ue dicamus. De ratione puri, dilucidiq; ſermonis, & ſi permagni eam facere debeamus, cum verborum delectus origo ſit eloquentiæ, locus hic præcipiendi non eſt. Nam traditur literis, doctrinaq; puerili, & cõſuetudine ſermonis quotidiani, & lectione veterum oratorum, & poetarum confirmatur. Reliquas igitur duas partes, quibus omnis admiratio ingenij, omnis laus eloquentiæ continetur, explicemus: quæ duæ partes, illuſtrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici poſtulat ornatè, altera aptè, hanc habent vim, vt ſit quàm maxime iucunda, quàm maximè in ſenſus eorum, quia audiunt, influat, & quàm plurimis ſit rebus inſtructa.

3 De Orat.
In Bruto.
3. De Ora.

IN CAP. II.

Hæc in Elocutione. *Perinde eſt: ac ſi diceret, Vniuerſa loquendi ratio exigit, vt latinè, vt planè, vt ornatè: &c.* De ratione puri, dilucidique ſermonis. *Eſt, quod intelligas, ſicuti præcepta multa de Inuentione à Dialectica ſumuntur: ita Elocutio plurimum mutuatur à Grammatica: at hic vnum eſt hoc propoſitum, de Eloquentia agere. Ariſtoteles quoque in Tertio Rhetoricorum ſcribit, caput, atque initium elocutionis eſſe emendatè loqui.* Dici poſtulat ornatè. *Hoc fit, cum ad rerum dignitatem, aptè, & quaſi decorè noſtram accommodamus orationem. Solius enim oratoris eſt, ornatam orationem concinnare.* Altera apte. *Hoc illud eſt, de quo multa Cicero ſcribit:*

eſtq;

estq́; aptè dicere, decorum in dicendo obseruare, vt rebus, & personis apta sit, & conueniens oratio. Plurimis rebus instructa. *Explodenda igitur illorum est sententia, qui Elocutionem in sola verboram conformatione positam esse existimarunt: nam, quid aliud est benè dicere, hoc est, eloqui, quàm optimis sententijs, lectissimisq́; verbis dicere?*

De Ornatu. Cap. III.

ORnatur igitur oratio genere primum, & quasi colore quodam, & succo suo, nam vt 3. de Ora. grauis, & suauis, & erudita sit, vt liberalis, vt admirabilis, vt polita, vt sensus, vt dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum, in toto spectantur hęc corpora. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maximè teneat eos, qui audiant, & quòd non solùm delectet, sed etiam sine satietate delectet. Sed volenti ornatè dicere diligentissimè sylua rerum primum, sententiarumq́; comparanda est. Rerum enim copia verborum copiam gignit, & si honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, existit ex rei natura quidam splendor in verbis, facileq́; suppeditat omnis apparatus, ornatusque dicendi.

IN CAP. III.

Sed etiam sine satietate delectet. *Quod efficiemus, cùm attificiosè, rebusq́; congruenter illa dicendi tria genera, tenue scilicet, mediocre, & sublime ita admiscebimus, vt humilia subtiliter, atque perspicuè, magna & mediocria pro dignitate dicantur: hac enim varietate mirificè auditoris animus recreatur.* Rerum enim copia. *Hinc apparet, nihil vtilius adolescenti-*

bus esse posse, quàm si calamo vtantur: & conglutinato sibi libro papyraceo, in eo omnia, quæ legendis passim auctoribus obuia sunt, per locos communes disposita excepetint, quod à paucis nostro hoc sæculo fit.

De ornatu orationis. Cap. III.

Cic. de O-ra. in Par. Quin. lib. 8. cap. 3.

OMnis oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniunctè. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis, coniunctisque constat. Ergò vtemur verbis, aut ijs, quæ propria sunt, & certa quasi vocabula rerum, penè vna nata cum rebus ipsis, aut ijs, quæ nouamus, & facimus ipsi.

IN CAP. IIII.

Omnis oratio. *Tu facilius fortassè sic dicito: Eloquendi duo genera, vnum sua sponte fusum, id est, ipso naturæ impetu pronunciatum: alterum versum, atque mutatum, quod verba aut dilatat, aut contrahit, aut orationis ordinem commutat. in his autem generibus primùm habetur ratio simplicium verborum, deinde coniunctorum.* Nam est quidam ornatus orationis. *Hic videri potest passim in Comœdijs, & Epistolis, atque hoc plurimùm Lysias delectatus est.*

De verbis simplicibus. Cap. V.

3. de Ora. in Pat. Quin. lib 8., cap. 3.

VErba simplicia natura sunt, alia consonantiora, grandiora, leuiora, & quodammodò nitidiora, alia contrà. Consonantiora enim sunt, quanquam, moderatio, & concertare, quàm, & si, modestia, & confligere. Grandiora, immanis, contrucidare, optimus, officiosissimus.

ſimus, quàm hæc, magnus, necare, bonus, officioſus. Nitidius, etiam bos, quàm vacca. Vt ſyllabæ autem è literis melius ſonantibus clariores ſunt, ita verba è ſyllabis magnis vocalia. & quò plus quæq; ſpiritus habet, eò pulchrior: & quod facit ſyllabarum, idem verborum quoque inter ſe copulatio, vt aliud alij iunctum melius ſonet. In vniuerſum quidem optima ſimplium creduntur, quæ aut maximè exclamant, aut ſono ſunt iucundiſſima. Et honeſta quidem turpibus potiora ſemper, nec ſordidis vnquam in oratione erudita locus. Clara verò, ac ſublimia materiæ modo concernenda ſunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi: & quæ humilia circa res magnas, apta circa res minores videntur: & ſicut in oratione nitida notabile eſt humilius verbum, & velut macula, ita à ſermone tenui ſublime, nitidumq́ue diſcordat, fitq́ue corruptum, quia in plano tumet. Sed hæc ferè aurium quodam iudicio ſunt ponderanda, in quo conſuetudo etiam benè loquendi valet plurimũ. Sed quoniam tria ſunt in verbo ſimplici, quæ orator afferat ad illuſtrandam, atque exornandam orationem, aut inuſitatum verbum, aut nouatum, aut translatum, de ſingulis breuiter dicamus.

Cicer. & Quint. ex Ar. Rhet. li. 3. cap. 7

IN CAP. V.

Conſonantiora. *Fiunt autem ob duas potiſſimũ vocales, A & O. vt,*

Luctantes ventos, tempeſtatesq́ue ſonoras:
Imperio premit.

Grandiora. *Vt : Africa terribili tremit horrida terra tumultu: Ea verò tu ne ea eſſe putato, quæ grauius ſonant, ſed quæ vni magis, quàm alteri conueniant:*

alia

alia enim Simoni, alia verò Pamphilo conueniunt. Bos, quàm vacca. *Leuiora & nitidiora quodammodo:*

Tu ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus genuit phrygij Simoentis ad vndam?

In nitidis frequenter inueniuntur L. & V. vt, splendidius, luculentius: lenia verò redduntur, si adsit E. & I. Egregius, Eximius. Vt sono sunt iucundissima. *Vt, qui mihi fratrem optatißimum, me fratri amantißimo reddidistis.*

De verbis inusitatis. Cap. VI.

.de Ora. INusitata sunt prisca ferè, ac vetusta, & ab vsu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quæ sunt Poëtarum licentia liberiora, quàm oratorum, eoque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius vnicè est vsus, olli enim, & quia nam, & pone, pellucent: & aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti authoritatem. Habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem, si rarò etiam, & in loco adhibeatur. Neque enim est, cur illud quisquam fugiat dicere, vt Cælius, sobolem, aut effari, ant nuncupari, & alia multa: quibus loco positis grandior, atque antiquior oratio sæpè videri solet.

Quin. lib. 8. cap. 3. Aeneid. 1. & 2.

IN CAP. VI.

Prisca ferè, ac vetusta. *Ciiusmodi reperiuntur apud Ennium, Lucillium, Andronicum, Cæcilium, Accium, Plautum, & alios, qui vsque ad tempora Syllæ dictatoris sctipserunt. Hos enim omnes Cicero veteres voca-*

vocauit. Vetustatis inimitabil artié auctoritatem. *Tertio Rhetor. libro Aristoteles quoque affirmat, verbis inusitatis grauiorem reddi orationem. Non est autem ignorandum, in vniuersum rarissimi vsus esse ea, quæ à Grãmaticis desideratiua, & meditatiua appellãtur. Cuiusmodi est, Petesso, Facesso, tonesso, & vixurio, empiurio, quod Varronis est. Addo hoc etiam, huiusmodi vocibus vsum esse in Comœdijs, & Dialogis, quod fit, vt sermo personæ congruat.* Vt Cœlius. *A cuius locutione nobis cauendum est: nam & Quintilianus huic asperitatem in dicendo tribuit, & Tacitus in eo verborũ sordes agnoscit, subiungitq́, Amarior Cœlius.*

De verbis nouis. Cap. VII.

NOuantur autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipso gignuntur, ac fiunt, aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum. Similitudine: vt, Syllaturit, à Cicerone formatum est: & ab Asinio, Fimbriaturit, ad similitudinem verbi proscripturit. & à Liuio, sobolescere, ab Horatio, iuuenescere, à Vergilio lentescere, & ignescere dictum est, vt feruescere. Imitatione facta sunt tinnio, rugio, clangor, murmur, aliaque permulta. Inflexione, vt à bibo, bibosus, inflexit Laberius Mimographus. Adiunctione versutiloquus, & expectorare, nouauit Ennius. Sed Græcis magis concessum est fingere, audendum tamen aliquando, & si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remedijs præmuniendum est, Vt ita dicam, Si licet dicere, Quodam modo, Permitte mihi sic dicere. In quo non falli iudicium nostrum, solicitudine

3. de Orat. Ad Attic. li. 9. in epist. 12. Lib. 29. ab vrb. con. Li. 4. car. Ode. 7. Geor. 2. & Aenei. 9.

4 rev

ne ipsa manifestum erit. nunc quoniam de verbis inusitatis, & nouis dictum est, de tropis, nam illis verba transferuntur, exponamus.

IN CAP. VII.

Nouantur autem verba. *Admonendos hic adolescentes, existimamus, vt caueant sibi ab huiusmodi auctoribus, qui nouo quodam, & monstruoso orationis genere vtuntur: periculosum siquidem est, à teneris corruptis auctoribus aures accommodare. Ac si quando hac verborum nouitate vti cogemur, eam vt leniamus, danda erit opera, non multum à communi sermonis vsu deflectentes, perraroq; ea innouare debebimus. Verbis autem nouis, ni fallor, delectati sunt, & eadem effinxerunt, qui post Domitiani tempora fuerunt.* Imitatione. *Docebat vir doctissimus Antonius Riccobonus, Imitationem eam esse, quam facimus, cùm imitamur vocabula vnius linguæ, & alia in altera lingua innouamus, vt si quis dicat, Pontigradus, quia Græcè dictum sit* ποντόπορος, *quod sanè magis placet, quàm si quis intelligat imitationem eam, quæ fit per onomatopœam.* Adiunctione. *Altiloquus, altisonus.* Sed Græcis magis. *Quibus cum hoc in genere præclarius actum esse, quàm cum Latinis, ex illorum scriptis facilè depræhenditur.*

De Tropis. Cap. VIII.

Quin. lib. 8. cap. 7.

TRopus est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio: vt cùm dicimus, lætas segetes, verbum, lætus à propria significatione, qua lætos homines dicimus, ad segetes cum virtute transfertur. Sunt autem tropi numero vndecim. In vno verbo septem

ptem, Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis. In oratione verò quatuor, Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, & Hyperbole: de quibus tametsi nondum de eo dicamus ornatu, qui ex coniunctis continuatisq́ue verbis constat, breuiter scribemus, ne iterum de tropis differere cogamur.

IN CAP. VIII.

Vt cùm dicimus. *Et, Philippum magnitudine rerum gestarum ebrium esse.* Ad segetes cum virtute. *Vt intelligant adolescentes, quàm parcè vti debeant tropis, & figuris, quæ alioqui parcè & loco vsurpata plurimùm orationi ornatus, & leporis addunt, illud sæpius ad memoriam reuocent, quòd à Seneca de Porcio Latrone dicitur: hunc scilicet dicere consueuisse, summum esse dementiam detorquere eam orationem, cui rectam esse liceat.*

De Metaphora. Cap. IX.

INcipiamus igitur ab eo, qui cùm frequentissimus est, tum longè pulcherrimus, translatione dico, quæ Metaphora Græcè vocatur. Latissimè enim patet. Eam necessitas genuit inopia Ar. Rhet.
coacta, & angustijs, post autem delectatio, iucun li.3.ca.2.
ditasq́ue celebrauit: Nam vt vestis frigoris de- Quin.li.8
pellendi causa reperta primo, post adhiberi cœ- ca.6.
pta est ad ornatum etiam corporis, & ad dignitatem, sic verbi trãslatio instituta est inopiæ causa
frequentata delectationis. Est aũt translatio cùm 3.de Ora.
nomen, aut verbum propter similitudinẽ trans- Aut.ad
fertur ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in Her.li.4.
quo propriũ deest, aut translatũ proprio melius Quin.lib.
est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia signi- 8.cap.6.

ficantius,

tius, aut quia decentius. Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes etiam rustici necessitate dicunt. Oratores durum hominem, aut asperum. Non enim proprium erat, quòd darent his affectionibus nomen. Iam incensum ira, inflammatum cupiditate, & lapsum errore, significandi gratia. Nihil enim horum suis verbis, quàm his accersitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ flumina, vt Cice. pro Milone: Clodium fontem eius gloriæ vocat, & alio loco segetem, ac materiam. Illud autem admirandum videtur, quid sit, quòd omnes translatis, & alienis magis delectantur verbis, quàm proprijs, & suis. Nam si res suum nomen, & proprium vocabulum non habet, vt pes in naui, vt in vite gemma, necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multò magis, si sunt ratione translata, delectant. Causa autem illa est, quòd translatio est similitudo, ad vnum verbum contracta, similitudine autem mirificè capiuntur animi. Eo tamen distat, quòd illa comparatur rei, quam volumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. Comparatio est, cùm dico fecisse quid hominē, vt leonem. Translatio, cùm dico de homine, leo est.

Pro Milo

3. de Ora.

Ari. 6. Topi, ca. 2. & Rhe. 3. c. 4 Quin. li. 8 c. 6. & Cicer. 3. de Orat.

IN CAP. IX.

Tum longè pulcherrimus. *Hoc vtrumque ita esse Oratio Cicero pro P. Sextio te docebit: vbi & crebras, & pulcherrimas metaphoras insertas esse video.* In quo proprium deest. *Vt parere arbores, quod erat animalium proprium, id translatum ad arbores est,* pro-

propter eam similitudinem, quæ inter duo hæc est. Scire autem maximè oportet, in translatione, seu mauis metaphora, primam virtutem esse Vrbanitatem, quod apertè docet Aristoteles Rhetoricorum tertio. Id facimus, aut quia necesse est. *Ex Ciceronis doctrina didicimus, tria esse translationum genera: vnum, quod clariorem facit rem, vt increbrescit mare: conduplicantur tenebræ: alterum, quo significatur magis res tota, siue facti alicuius, siue consilij: vt ille, qui occultantè consulto, ne, id quod ageretur, intelligi posset, duobus trāslatis verbis, similitudine ipse indicat. Quandoquidem iste circumuestit dictis, sepit sedulò. Tertium, quo breuitas conficitur, vt illud, si telum manu fugit.* Significandi gratia. *Inuadunt vrbem somno, vinoq; sepultam: quod significantius dictum est quàm si oppressam,* Si sunt ratione translatam. *At Crassus libro tertio de Oratore apud Ciceronem, cùm id sibi admirandum videretur, quòd homines translatis, & alienis magis verbis delectentur, quatuor huius rei causas attulit. Prima est, quòd ingenij specimen est quoddam transilire ante pedes re posita, & alia longè petita sumere. Secunda, quòd is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quæ maxima est delectatio. Tertia, quòd singulis verbis res, ac totum simile conficitur. Quarta, quòd omnis translatio, quæ quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admouetur, maximè oculorum, qui est sensus acerrimus.* Comparatio est. *Inuictißimus ille Dux, vti leo fortiter præliabatur: hæc comparatio est: at si ducem illum leonem appellabis, vt si dixeris, leo ille sic fortiter præliabatur, tunc translatio erit. Docet autem Aristoteles Rhetôric. tertio. Translationem ab imagine parum differre: nam cùm Achillem, vt leo-*

nem irruisse Poeta dicit, imaginem esse scribit, cum vero leone translationem. Idem docet, Imagines esse Poetarum, quòd frequentius ijs vtantur Poetæ: hisq; vult vrbanam, atque iucundam fieri orationem, minus tamen, quàm metaphora.

Quotuplex sit translatio. Cap. X.

Quin. lib. 8. ca. 6. Metaphoræ autem vis omnis quadruplex est. Cùm in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: vt Liuius, Scipionem à Catone allatrati solitum, refert. Inanima pro alijs generis eiusdem sumũtur, vt, concentu virtutum nihil est suauius. Aut pro rebus animalibus inanima: vt, (Dec. li. 4. cap. 7.)

Duo fulmina belli
Scipiadas. Aut contrà. (Aenei. 6.)
Sedet inscius alto (Aene. 2.)
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Præcipueque ex his oritur mira sublimitas, quæ audaci, & proximè perriculum translatione tolluntur, cùm rebus sensu carentibus actum quendam, & animos damus, qualis est,

Pontem indignatus Araxes. (Aene. 8.)

& illa Ciceronis: Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? In translatione primum fugienda est dissimilitudo, qualis est in illo Ennij Cœlringentes fornices. Deinde videndũ est, ne longè simile sit ductum: Syrtim patrimonij, scopulum libentius dixerim: Charybdim bonorum: voraginem potius. Facilius enim ad ea, quæ visa, quàm ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi ferun- (Pro Liga.) (3. de Orat.)

runtur. Sunt quædam & humiles translationes,
vt, Saxea est verruca: quædam maiores, quàm Quin.lib.
res postulat: vt, Tempestas commessationis: quæ- 8.cap.6.
dam minores, vt, commessatio tempestatis. Vt 3.de Ora.
modicus autem, atque opportunus eius vsus il- Quin.lib.
lustrat orationem, ita frequens, & obscurat, & 8.ca.6.
tædio complet: continuus verò in allegoriam, &
ænigma exit. Quòd si vereare, ne paulò durior 3. de Ora.
translatio esse videatur, molienda est præposito
sæpè verbo, vt, Si olim M. Catone mortuo pupil-
lum senatum quis relictum dicat: paulò durius,
sin, vt ita dicam, pupillum, aliquanto mitius est.
Etenim verecunda debet esse translatio, vt de-
ducta esse in alienum locum, non irruisse, atque
vt precariò, non vi venisse, videatur. Diligenter
etiam cauendum est, ne omnia, quæ Poëtis per-
missa sunt, conuenire oratori putemus: nec enim
pastorem populi autore Homero dixerim, nec vo Quin.lib.
lucres pennis remigare, licèt Virgilius in apibus 8.cap.6.
ac Dædalo speciosissimè sit vsus. Modus autem 4.Georg.
nullus est florentior in singulis verbis, nec qui & Aen. 6.
plus luminis afferat orationi, eoque in illo expli
cando meritò longiores fuimus.

IN CAP. X.

Cùm in rebus animalibus. *Gubernator magna contorsit equum vi: Princeps pastor populi.* Inanima pro alijs. *Classiq; immittit habenas. Flumen eloquentiæ: æstate terra ardet.* Aut pro rebus animalibus, *Fero, an fato metus Argiuum occidit: terra parturit. Cælum prata rident.* Aut contra. *Desiderio inflammatum: ira accensum.* Cœli ingentes fornices. *Vt qui nec magni sint, nec totum compleant circulum. Vitiosum quoque illud est,*

Iuppiter hybernas cana niue conſcuit alpes.

Scopulum l bentius. *Hæc eſt Ciceronis ſententia. Nam priora ſunt genera, ac notiora, quàm ſpecies, & ſpecies, quàm ſingularia, & indiuiduæ. Scopulus autem, & vorago viſa ſunt pluribus, quàm vel ſyrtis, aut carybdis. ergò rectius ſcopulus, & vorago.* Sunt quædam & humiles. *Sunt etiam & turpes, vt ſi quis dixerit: Morte Auguſtini Barbadici caſtratam eſſe Rempublicam Venetam.* Ita frequens & obſcurat, & tędio complet. *Vt enim ſi aduenæ plures in vrbe eſſent, quàm ciues, illos infenſi potius cerneremus, quàm officijs exciperemus, ita translata verba ſi plura, quàm propria eſſent, non tam libenter audirentur, neque admitterentur.* Volucres pennis remigare. *Et Horatius de Euro, audaciſsima (fortaſſè) metaphora. Per Siculas æquitauit vndas.* Modus autem nullus eſt Florentior. *Iccircò plerique exiſtimant, magis Demonſtratiuo generi conuenire, quàm Deliberatiuo, & Iudiciali, quippe quod & aptius ſit ad delectandum, & ad ea ornamenta accipienda, quæ ſuppeditat metaphora.*

De Synechdoche. Cap. XI.

Aut. ad Heren. SYnechdoche tropus eſt, in quo ex parte totũ, aut contrà, ex antecedentibus ſequentia intelliguntur. Quę deſcriprio octo illos modos comprehendit, quibus fit ſynecdoche, quos grauiſſimi ſcriptores tradiderunt. Ex parte totum intelligitur, vt ex pupi nauis: enſis ex Mucrone: aut ex tecto domus. Cicero: Mucrones eorum à iugulis noſtris reiecimus. Huc pertinet, cùm vel ex vno plures ſignificãtur. Liuius: Romanus prę-lio victor: & Virgilius:

In Cat. 3. Orat.

Aen. 2.

Hoſtis

Hostis habet muros.

Vel genus ex forma, id est, parte illi subiecta. Virgilius:

Dentesq́ Sabellicus exacuit sus.

Pro quouis sue: vel ex materia res vniuersa: qua ratione & ferrum pro gladio, & pinus pro naui, & aurum atque argentum pro aurea, & argentea pecunia sumitur. Cice. Homines instructi, & certis locis cum ferro collocati. Contrà verò, & ex toto pars declaratur, vt in illo Virgilij: Pro Ceci. Aene. 12

Fontemq́, ignemq́ ferebant.

De quo genere est, cùm aut è pluribus vnus intelligitur. Cicero ad Brutum: Populo, inquit, imposuimus, & oratores visi sumus: cùm de se tãtùm loqueretur: Aut è genere pars illi subiecta, Virgilius: Aene. 12.

Prædamque ex vnguibus ales
Proiecit fluuio. Pro Aquila.

Ex antecedentibus sequentia monstrãtur: vt cùm ait idem Poëta: Aeg. 2.

Aspice aratra iugo referunt suspensa iuuenci. Quin. lib. 8. cap. 6.

Vt ex his perspicuum est, quæ hoc & proximo capite dicta sunt. Translatio permouendis animis plerunque, & signandis rebus, ac sub oculos subijciendis reperta est: synecdoche variare sermonem potest, vt ex vno plures intelligamus, parte totum, specie genus, præcedentibus sequentia, vel contrà, omnia liberiora Poëtis, quàm Oratoribus.

IN CAP. XI.

Synecdoche. *Quæ & comprehensio dicitur, quod vel totum parte comprehendimus, vel contrà.* Ex parte totum. *Fasces pro lictoribus. Hi postquàm in vna mœnia conuenere, dixit Sallustius, pro, in vnam vrbem:*

In ijs Poeta est liberior: prosa tamen quædam accipit. Huic manus allatæ sunt, ante suos lares familiares. Romanus prælio victor. *Frequens hoc dicendi genus apud Liuium. Sic Horatius: me peritus discet Iber Rhodaniq; potor.* Vel ex materia res vniuersa, *Nunquàm dimoueas, vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta secet mare.* Vt in illo Virgilij. *Ingens à vertice pontus, pro procella: cœlo gratissimus amnis, pro Cœlitibus.* Fontemque ignemque. *Pro parte ignis, & aqua* De quo genere. *Et quid factum esse, quod fieri incœperit. vt Angliæ Reginam, quòd ab Ecclesia Romana desciuerit, grauissimo supplicio à Deo esse affectam, quod maximo in discrimine versetur: & pro contento sumitur continens. Virgilius: mensas consumimas, pro ferculas: præesse ciuitati, pro ciuibus.* Aut è genere pars illi subiecta. *Et illud Horatij: Luctantem Icarijs fluctibus Africum, pro quolibet aduerso vento.* Pro Aquila. *Et genus specie declaratur: vt si quis dixerit, Barbarorum enses nobis imminẽt, pro cunctis Barbarorum armis.* Ex antecdentibus sequentia. *Vt concutere mœnia, pro oppugnatione: subdit equo calcaria, pro currit.* Synecdoche variare sermonem potest. *Qui octo sunt modi Synecdochi conficiendi. Sed sciendum est, huius tropi vsum frequentiorem esse Poetis, Oratoribus sanè minorem.*

De Metonymia. Cap. XII.

METonymia est tropus, in quo causas per effecta, vel effecta per causas, vel ex eo, quod continet, id quod continetur, vel rem è signo intelligimus. Per causas effecta declaramus, cùm inuẽtor, aut alicuius rei author, pro re in-

re inuenta ponitur. Virgilius:

Onerantque canistris
Dona laborata Cereris.

Hoc modo Platonem, Aristotelem, Demosthenẽ
frequenter pro eorum scriptis ponimus. Cicero:
Lectitasse Platonem studiosè, audiuisse etiam
Demosthenes dicitur. Ex effectis autem causa si- Aen.8.
gnificatur, cùm sacrilegium deprehensum, & sce
lus, dicimus pro scelerato. Hinc mœstum timo-
rem, tristem senectutem, & pallidam mortem e-
leganter optimi dicunt authores. Virgil.

Mœstumque timorem. Mittite. Aene.1.

Horatius:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Ex eo, quod continet, id quod continetur, venu-
stè etiam intelligitur: Sic benè moratæ vrbes vo
cantur, sic seculum fœlix, sic Roma pro Roma-
nis, Athenæ pro Atheniensibus frequenter po-
nuntur, Virgil. Aene.7.

Cœlo gratissimus amnis. Id est, Cœlestibus. Ci- De Orat.
cero: Vt omittam illas omnium doctrinarum in-
uentrices Athenas, in quibus summa dicendi vis
& inuenta est, & perfecta: Athenas dixit, pro A-
theniensibus. Huc referuntur etiam illa, cùm ex
possessore res, quæ possidetur, aut ex duce exer- De cla. orat,
citus significatur. Virgil. Aen.2.

Iam proximus ardet
Vcalegon. Id est, Vcalegontis domus.

Sic hominem diuortari, cuius patrimoniũ deuo-
ratur: & ab Annibale apud Cannas cæsa sexagin-
ta milia dicimus, id est, ab eius copijs. E signo de-

que res monstratur: vnde toga, quæ pacis erat insigne, & otij, pro pace: & fasces vsurpantur pro magistratu. Vergil.

Georg. 2. *Non illum populi fasces, non purpura Regum Flexit*

In Ora. Metonymiam, vt ait Cicero, Rhetores hypallagē vocant.

IN CAP. XII.

Metonymia. *Quæ partim Metalepsi, partim Synecdoche cognata est, mollior tamen, quàm illæ.* Rei auctor, pro re inuenta. *Plautus in Amphitrione, Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris? pro Ellychnio incenso.* Pro eorum scriptis. *Emi Quintilianum, quod est eius codicem.* Ex effectis autem. *Quidam nomina hæc sumpta à causis, aut effectibus, Græcorum more in Metalepsi figura collocant: & quoddam discrimen faciunt inter Metalepsim, & Metonymiam.* Hinc mœstum timorem. *Vinum callidum, quia calefacit corpus.* Sic benè moratæ vrbes. *Et Barbaras Syrtes, apud Horatium Ode. 6. lib. 2.* E signo denique res. *Eiusdem formæ sunt, contrahit frontem, pro admiratur. Signum in fronte gerit, pro glorioso: extollit supercilium, pro intumescit: complicatis sedet manibus, pro negligenti. Sciant adolescentes, inter Metonymiam, & Antonomasiam hanc esse differentiam, vt illa ferè rerum sit, hæc plerunque personarum. Metonymia sanè ad orationis tum copiam, tum grauitatem confert.*

De Antonomasia. Cap. XIII.

ANtonomasia ponit aliquid pro nomine: vt, Euersor Carthaginis, & Numantiæ, pro Scipione, & Romanæ eloquētiæ princeps, pro Cicer. Epithe-

theton autem, siue latinè malis dicere appositũ, non est tropus, quia nihil vertit. Necesse est enim semper, vt id, quòd est appositum, si à proprio diuiseris, per se significet, & faciat Antonomasiam. Nam si dicas, Ille qui Carthaginem, & Numantiam vertit, Antonomasia est: si adieceris, Scipio, appositum. Apposito & frequentius & liberius poetæ vtuntur, namque illis satis est, conuenire verbo, cui apponitur: & ita, Dentes albi, & humida vina, apud eos non reprehénduntur. Apud oratorem nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autẽ efficitur, si sine illo, quod dicitur, min⁹ est, qualia sunt, ò scelus abominandum, ò deformem libidinem. Exornatur autem res tota maximè translationibus: Cupiditas effrænata, & insanæ substructiones. Solet etiam fieri alijs adiunctis Epitheton tropis, apud Virgilium: Turpis egestas, & tristis senectus. Veruntamen talis est ratio huius virtutis, vt sine appositis nuda sit, & velut incompta oratio, ne oneretur tamen multis. Nam sit lónga, & impedita.

Ari. li. 3. Rh c.3. & Quin. lib. 8.ca.6.

Aene. 6.

IN CAP. XIII.

Antonomasia. *Dicitur etiam permutatio nominis, à Quintiliano etiam fictio vocatur.* Epitheton autem. *Epitheton Antonomasiæ speciem esse docet Diomedes, nobilissimus grammaticus.* Exornantur autem res. *Ne ignorent adolescentes, varium esse huius tropi ornatum, docemus, Antonomasiam esse, cum loco nominis ponimus dignitatem: quæ vel nomini adiuncta erit, vel absolutè poteris subijcere: adiuncta: Pater eloquentiæ Tullius: absque nomine. Stoicæ familiæ assertor, pro Zenone Secundo, cum definitionem: vt, Ars benedicendi, pro Rhetorica: Tertiò, cum vocabuli Etymologiam,*

vt ventri deditum, pro parasito. Quartò. Patriam, vt Arpinatem, pro Cicerone. Cypridem, pro Venere Quintò, cum descriptionem, à Græcis periphrasim dictam: Horatius. Is, qui, nomen ab Africa lucratus, rediijt. pro Scipione: & alibi. Troiani belli scriptorem, pro Homero. Sextò demum, cum aliquod insigne dictum loco dicentis ponimus: qui aurum per medios ire satellites dixit, pro Horatio.

De Onomatopœia. Cap. XIIII.

ONomatopœia, id est fictio nominis græcis inter maximas habita virtutes, latinis vix permittitur. Ab his tamẽ plurima sunt per Onomatopœiam posita, qui primi sermonem fecerunt, aptantes affectibus nomen. Nam mugitus, & sibilus, & murmur, & vagitus, aliaque quã plurima inde venerunt, At nunc raro, & cum magno iudicio hoc genere vtendum est, ne noui verbi assiduitas odium pariat: sed si commodè quis eo vtatur, & raro, non modo non offendet nouitate, sed etiam exornabit orationem.

Quin. lib. 8. ca. 6.

IN CAP. XIIII.

Aliaque quamplurima. *Bombarda, Taratantara: Euohe: Baubatus: sibilus, murmur, mugitus, & alia huiusmodi, quæ referri possunt, etiam inter nouata verba vtile est, non nimium addictos esse huic tropo, neque ignorandum, id plerumque fieri cum in alijs, tũ potissimum in rebus sonantibus, quibus si nomen desit, ex ipsorum sono plerunq; fingimus.*

De Catachresi. Cap. XV.

Abu-

Abusio, quam κατάχρησιν appellant, est quæ verbo simili & propinquo, pro certo, & proprio abutitur, hoc modo: vires hominis breues sunt, aut parua statura, aut longum in homine consilium, aut, vti pauco sermone: aut cũ grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus, sic Verg. In Ora.

Instar montis equum diuina Palladis arte 2. Aene.
Aedificant. Et quin protinus omnia 6. Aene.
Perlegerent oculis.

Sic Pixide cuiuscunque materiæ sunt, & parricida matris quoq; aut sororis interfector dicitur. Quin. li. 8. ca. 6.
Abutimur autem verbis propinquis, non solum in his, quæ nomen non habent, vt de pyxide, & parricida diximus, sed etiam in his, quæ habent; vt grandis oratio, equum ædificant, perlegerent oculis, vel quod delectat, vel quod licet. Sed hoc interest inter abusionem, & translationem, quòd abusio licèt impudens non sit, est tamen licentior, & audacior, quàm translatio. Ex quo apparet, duos hoc ropos ita similes esse, vt tamen sint diuersi. In ora. 3. de Orat. 3. de Orat.

IN CAP. XV.

Quæ pro verbo simili. *Vt si piscinam dixeris fontem, vbi abluimur, in quo tamen nulli sunt pisces: hæc vocatur catachresis soluta, quæ ferme fit necessitatis causa: nam alia est ligata, qua vtuntur poetæ citra necessitatem, vt ædificant equum, quæ fit poetica licentia.* Vel quod delectet, vel quod licet. *Est & Catachresis, cum singulari consilio prore aliqua vsurpamus, quæ sunt ei proximiora. vt cum pro virtutibus vicina vitia dicimus, & è conuerso: vt si seuerum hominem ostendentes, crudelem dicamus, pro auaro, diligentem in re facienda.*

De Metalepsi. Cap. XVI.

SVperest ex his, qui aliter significant, Metalepsis, id est, transumptio ex alio in aliud velut viam præstans. Tropus autem est rarissimus, & maximè improprius, Virgilius.

Quin. li. 8. ca. 5. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.
Aeg. 1. Gradatim enim ab aristis ad spicas, à spicis ad segetes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad annos acceditur.
Quin. ibi. Idem etiam poeta in primo lib. AEneid. sic ait.

Aene. 1. *Speluncisq́; abdidit atris.*

Vbi speluncæ nigræ, ac per hoc crassis, & obscuris tenebris circumfusæ, ad extremum denique infinita altitudine depressæ intelliguntur.

IN CAP. XVI.

Metalepsis. *Quæ deducitur ἀπὸ τοῦ μεταλαμβάνειν, quod inter cætera significat transumere. Docet autem vir doctissimus Hieronymus Rhegius, in Metalepsi animaduertendum esse, ne causa, aut effectus sit nimis obscurus: itaque damnat Horatium, qui dixerit.*

Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat.

pro eo, quod erat: Sunt quos delectet ludus Olympicus. huius vsus celebrior est in carmine, infrequentior in Oratione soluta.

De Allegoria. Cap. XVII.

ALlegoria, quàm inuersionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Aliud Vergil.

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor.
Et iam tempus, equum spumantia soluere colla.

Habet

Habet vſum talis allegoriæ frequẽter oratio, ſed raro totius, plerunque apertis permiſta eſt. Tota apud Cice. talis eſt: Hoc miror enim, querorque, quenquam hominem ita peſſundare alterum verbis velle, vt etiam nauem perforet, qua ipſe nauiget. Illud commiſtum frequẽtiſſimum. Equidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas: niſi adiecisſet, fluctibus concionum, eſſet allegoria, nunc eam miſcuit. Illud verò longè ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo trium permiſta eſt gratia, ſimilitudini, allegoriç, & translationis. Quod fretum, quem Euripũ tot motus, tamque varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum. Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nõnunquam commutat aura rumoris. Nam id quoque in primis eſt cuſtodiendum, vt quo genere cẽperis translationis, hoc deſinas. Multi enim cum initium à tempeſtate ſumpſerunt, incendio, aut ruina finiunt, quæ eſt in conſequentia rerum fædiſſima. Cæterum allegoria paruis quoque ingenijs, & quotidiano ſermoni frequentiſſimè ſeruit, nam illa in agendis cauſis trita; Pedem conferre, &, iugulum petere, & ſanguinem mittere, inde ſunt. Allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, vitium profectò, ſiquidem dicere dilucidè virtus, quo tamen & poetæ vtuntur. Vergilius.

Pro Mil.

Pro Mur.

Vir. 3.

Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.

Et oratores nonnunquam, vt in Triclinio Coa, in cubiculo nola.

IN CAP. XVII.

Hoc, miror enim, queror que. *Hæc Allegoria est in verbis, nam alia est Allegoria in sententijs? vide Quin. libr. 8. cap. 6.* Vt etiam nauem perforet. *Id est ciuitatem euertat, qua subuersa, sibi quoque sit pereundum.* Illud commistum. *Obseruato, Ciceronem rem significatam, & allegoriam inuicem commiscuisse, quod apud Oratores perraro in vsu sit allegoria perpetua.* Nunc eam miscuit. *Cum Metaphara scilicet Icirco nonnulli senserunt, Allegoriam nihil aliud esse, quàm perpetuam metaphoram.* Quod fretum. *Similitudo est inconstantiæ comitiorum.* Multi enim cum initium. *Gignitur hic monstrum illud, ab Horatio in arte poetica descriptum.* Pedem conferre. *Quod est concertare argumentis.* Inde sunt. *Et, Cibum à præceptore ruminat, id est, quæ audiuit, recolit. Tragulum inijcere, quod valet, fallaciam intendere.* Allegoria, quæ est obscurior. *Non solum cauendum est, ne nimis sit obscura, sed etiam, ne sit nimis crebra, reddit enim Orationem ineptam, naueseamq; audientis animo affert, vt etiam si parcè vsurpetur, in oratione plurimū leporis habet.* Tres pateat cœli spatium. *Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 3. cap. 8. scribit, Interrogantibus Grammaticis Vergilium, quid hic occultasset, iocando respondisse, se grammaticis crucem fixisse, qua se aßiduè distorquerent. Seruius Egloga tertia tres affert solutiones.*

De Ironia. Cap. XVIII.

IN genere, quo contraria ostenduntur ironia est, quam illusionem vocant, quæ non solum aliud

aliud sensu, aliud verbis ostendit, sed contrarium. Ea aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Nam si qua earum verbis dissentit, apparet, diuersam esse orationi voluntatem, Cic. in Clodium: Integritas tua re purgauit, & mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta seruauit. & Turnus apud Virgilium. Ari. Rhe. Alex. c. 20 Quint. lib. 8. c. 6.

Metuq; timoris
Argue tu Drance, quando tot cędis aceruos
Teucrorum tua dextera dedit.

IN CAP. XVIII.

Et turnus apud Vergilium. *Et Hegio apud Terentium: Ille bonus vir nobis psaltiam (si dijs placet) parauit: &. Salue, o bone vir. Verres, homo sanctus, & diligens.* Ea aut pronuntiatione. *Ironia quatuor modis intelligitur. Adiunctione vocis, quæ non obscurè ironiam significet, vt, scilicet is super is labor est. Addictione contrarij: vt, nos docebit, qui nihil vnquam didicit? Pronuntiatione, qua multa apud Poetas Comicos significantur. Persona demum, seu rei natura. Dauus homo certe simplex, & integer. Non ista curat populus: Id populus curat scilicet: non magnam laudem assecutus est: Egregiam vero laudem assecutus est.*

De Periphrasi. Cap. XIX.

CVm pluribus verbis id, quod vno, aut paucioribus dici potest, explicatur, Periphrasim vocant, circuitum loquendi, qui est apud poetas frequentissimus. Vt. Aene. 2.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris.

Incipit, & domo diuum gratißima serpit,

Quin. l.8. ca.6. Et apud oratores non rarus, semper tamen astrictior; quicquid enim significari breuius potest, & ornatu latius ostenditur, periphrasis est. Verum vt cum decorem habet periphrasis, ita cum in vitium incidit, perissologia dicitur, obstat enim, quicquid non adiuuat.

IN CAP. XIX.

Cum pluribus verbis. *In hoc tropo verborum intellectus commuttatur, quia rem vnam pluribus ambimus, quæ seorsim considerata peculiarem habet significandi vim.* Perissologia *Quæ est sermonis redundantia.*

De Hyberbato. Cap. XX.

4. ad Her. 3. De Ora. HYperbaton, id est transgressio, est, quæ verborum perturbat ordinem peruersione, aut transiectione. Peruersione, vt vulgò, Quint. li. 8. ca. 6. mecum, tecum, secum, apud oratores & Historicos, quibus de rebus, apud Virg. maria omnia cir- 1. Aene. cum. Transiectione, vt, animaduerti, iudices, om- Pro Cluẽ. nem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Huiusmodi transiectio, quæ rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, de quibus postea dicetur in quibus oportet verba sicuti ad poeticum quendam extruere numerum, vt perfectè, & perpolitissimè possint esse absolutæ. Poetæ quidem etiam verborum diuisionem faciunt, & transgressionem.

3. Geor. Hyperboreo septem subiecta trioni. quod oratio nequaquam recipiet.

IN CAP. XX.

Id est

Idest transgressio. *Dicitur etiam Transilitio, Distractio: hoc Autem fit, cum differuntur verba post verborum tractum.* Septem subiecta trioni. *Hanc vocant thmesin, quæ solutæ orationi non concedimur.*

De Hyperbole. Cap. XXI.

Hyperbole est ementiens superiectio, cuius virtus est ex aduerso, par augendi, ac minuendi, Virgilius: He.lib.4. Quin.lib. 8.ca.6.

Geminiq; minantur. In cœlum scopuli.

Et, Fulminis ocyor alis.

Cicero in Antonium, Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim, dico, quæ si fuit, fuit animal vnum: Oceanus medius fidius vix videtur, tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Illud Virgilij ad minuendum. Aene.1. Aene.5.

Vix oßibus hærent.

Sed tam in augendo, quàm in minuendo seruetur mensura quædam. Quamuis est enim omnis hyperbole vltra fidem, non tamen esse debet vltra modum. Aeg.2. 3.De Ora.

IN CAP. XXI.

Hiperbole est. *Hiperbolim accipit Aristoteles in quæstionibus, pro vtroque excessu, quiue ad exuberantiam, quiue ad defectum tendat.* Ementiens Superiectio. *Id fit, cum voce aliqua rem magis extollimus, aut deprimimus, quàm natura ipsa pateretur.* Quæ charibdis. Et *illud: ferit aurea sydera clamor. est autem seruandum, hoc exemplo, apposito ex Cicerone, hyperbolem conuenire iratis, quod docet Aristoteles Rhetor. tertio. Hanc eamdem ponit inter vrbana, & fa-*

cetè dicta: vt illud maledici cuiusdam in Syllam, qui dicebat, eum esse morum, farina resperſum: aiunt enim, Syllam candida quidem facie fuiſſe, ſed eam habuiſſe maculis ſugillatam.

De ornatu, qui eſt in verbis coniunctis. Cap. XXII.

SEquitur continuatio verborum, quæ duas res maximè collocationem primum, deinde modum quendam, formamq; deſiderat. Tum & verbis & ſententijs oratio confirmanda eſt, de quibus poſt tropos aptiſſimè dicemus, deinde de collocatione, poſtremo de modo, & forma, id eſt numeris, qui ſunt adhibēdi in oratione differemus.

IN CAP. XXII.

Collocationem primum. *Etenim Quintilianus vnà cum Cicerone in Partitionibus docet, tria in verbis coniunctis in primis eſſe ſpectanda, vt emendata ſint, vt rectè collocata, & exornata figuris.*

De figuris. Cap. XXIII.

Quin. lib. 9. ca. 1.

FIgura (ſicut nomine ipſo patet) eſt conformatio quædam orationis, remota à communi, & primum ſe offerente ratione. Differt autem à tropis figura, quia proprijs verbis figura fieri poteſt, quod in tropos non cadit: vt, Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani: figura eſt in verbo geminato, in ſua ſignificatione permanente. Illud tamen notandum coire frequenter in eaſdem ſententias & tropum, & figuram. Tam enim translatis verbis, quàm proprijs figuratur oratio: vt, qui ſpem Catilinæ mollibus ſententijs aluerunt, coniurationemque naſcentem-

corroborauerunt. Aluerunt,& corroborauerunt translata sunt, & similiter desinentia, similiterq́; cadentia.

IN CAP. XXIII.

Differt autem à Tropis. *Alexandri Sophistæ de figuris locutionis alteram differentiam apponere visum est. Sic ille. Differt præterea Tropus à figura, quoniam Tropus alienum nomen pro proprio ponit. translationem enim sumit ex proprio: Vt verticem montis: Pedem, extremum Idæ. Figura proprium rei nomen seruat, petitū quodamodo, atq; elocutionis virtute formatum, nā propria elocutione ita sumpta absoluunt: Sicuti se hoc habet, ad ipsum vocas, ad leges vocas.*

De generibus figurarum. Cap. XXIIII.

SICVT omnem orationem, ita figuras quoque necesse est versari in sensu & in verbis. Vt verò natura prius est, cōcipere animo res, quàm enunciare: de ijs figuris ante loquendum esset, quæ ad mentem pertinet: sed facilitatem secuti, de figuris verborum prius dicemus. Est autem verborum exornatio, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitione. Inter conformatiionem verò verborum, & sententiarum hoc interest, quod verborum conformatio tollitur, si verba mutaris: sententiarum permanet quibuscunque verbis vti velis: vt, Nunc verò quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare nostrorum putat? Repetitio est, verborum figura & interrogatio, figura sētētiarū, persępe enim vnus, & idē locus, & verborum, & sentētiarum ornamentis illuminatur.

Her. li. 4.

3 de Orat.

muta verba. Quid agat,& moliatur,ac denique quid cogitet,quem ignorare nostrum putat? Repetitio tollitur,interrogatio permanet, semperque permanebit, quibuscunque verbis vti velis. Sed quoniam parum inter authores conuenit de numero, & nominibus figurarum, & in eo etiam magna discrepantia est, quod aliquæ à quibusdá inter verborum ponuntur, quæ ab alijs inter sententiarum ornamenta numerantur, nos mediam viam secuti,ea,de quibus grauissimorum scriptorum maior consensus est,explicabimus.

IN CAP. XXIIII.

Inter Conformationem verborum, & sententiarum. *Idem Alexander de hac differentia sic loquitur: Differt sententiæ figura ab Elocutionis figura, quoniam elocutionis figura remota elocutione, quæ continet,perdit velut. Sed vel hi accersendi, vel alium non minorem exercitum opus est mittere: deperit figura annominatio: Sin autem figuræ sententiæ aliquis nomina remouerit,alijsq; nominibus proferat,eadem nihilominus figura permanebit.*

Quot modis fiunt figuræ verborum. Cap. XXV.

Figuræ verborum tribus maximè fiunt modis;per adiectionem,detractionem,similitudinem.Per adiectionem ,vt Cicero pro Milone: Occidi, occidi non Spurium Melium: quo loco,verbum,occidi figuratè geminatum est.Per detractionem etiam fiunt figuræ; in quibus multum est venustatis:Cicer.in Catilinam:Abijt,excessit,erupit,euasit, vbi coniunctiones pretermittuntur.Sed tertium genus figurarum,quod quandam

Quint.li. 9 ca.3.
Pro Mil.
Inucc.2.

dam

dam vocum habet similitudinem, & aures præcipue in se vertit, & animos excitat, Cicerone in Oratore; Itaque efficis, vt cum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quæ facis. In orat.

De figuris, quæ fiunt per adiectionem. Cap. XXVI.

Repetito est, cum ab eodem verbo ducitur sæpius oratio, vel, vt Cicero describit, Est eiusdem verbi crebra à primo repetitio. Aut. ad here. lib. 4.
Quod acriter, & instanter fit, Cicero in Catilinã, Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod Quin. l. 9.
ego non modo audiam, sed etiam videam, planéque sentiam. Idem contra Rullum: Quid enim est ca. 3. De Ora. 3
tam populare, quàm pax? qua non modo hi qui- In ora.
bus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atque Inuect. 1.
agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quàm libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam à bestijs expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quàm otium? quod ita iucundum est, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esset, præsertim cum imperio, ac dignitate.

IN CAP. XXVI.

Repetitio est, cum ab eodem verbo. *Sæpe etiam alijs verbis iterum ponitur: quanquam id nimis inepta à Seneca irridetur. Sed tamen Vergilius posuit.*

Quantum in connubio natæ, thalamoq; moratur. fit etiam repetitio per consequentiam, vt apud Virgilium. iam fidere terræ.

Deseruisse rates: nam qui terræ fidit, nauium parum

curæ gerit.

Hæc Iulius Cæsar Scaliger li. 3. Poeticæ. Habet hoc Schema tum multum venustatis, tum acrimoniæ : valet ad permouendos auditorum affectus: Orationemq́ non ornat solum, sed etiam amplificat.

COnuersio est, cum in idem verbum conijcitur sæpius oratio, Cicero in Antonium, Doletis, tres exercitus populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos ciues ? eos quoque eripuit vobis Antonius. Authoritas huius ordinis afflicta est ? Afflixit Antonius.

DE CONVERSIONE.

Conuersio est. *Tu clarius intelliges, hoc si dixeris: Antistrophem esse finis repetitionem, non vt ponatur in principio sequentis, sed æque in fine. vt, Hic prætor reliquos diligentia superat, æquitate superat liberalitate superat. Oratoribus vsitatior est hæc figura, quàm Poetis, quòd hi numero pedum impediantur.*

COmplexio est, quæ repetitionem, & conuersionem complectitur. Qui sunt, qui fædera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam de formauerunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginēses. Cicero pro lege agragia: Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem populi partē suffragijs priuauit ? Rullus. Quis comitijs præfuit? idem Rullus.

DE COMPLEXIONE.

Com

Complexio est. *Habet hæc figura in membrorũ principio, & in fine eandem dictionem. AEschines: ad te ipsum vocas, ad leges vocas, ad populi principatum vocas. Complexio. Conuersio, & Repetitio ad exhortandum, ad Obiurgandum, & exprobandum mirificè conducunt.*

COnduplicatio est verborũ geminatio, quæ habet interdum vim, leporem aliàs. Geminantur autem verba modis pluribus, aut enim adiungitur idem iteratum, vt Cic. in Cat. Viuis & viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Aut idem ad extremum refertur: Cicero in Verrem, multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Aut cõtinenter vnum verbum non in eadem sententia ponitur; Cicero pro Ligario, Principum dignitas erat penè par, non par, fortasse eorum, qui sequebantur: Aut post aliquam interiectionem repetũtur. Cicer. Bona, miserum me (consumptis enim lacrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij acerbissimæ voci subiecta præconis: Possunt quoque media respondere, vel primis, vt Verg.

Inuec. 1. li. 5. accu. Phi. 2.

Te nemus Angiciæ, vitrea te Fucinus vnda.

Aene. 5.

Vel vltimis: Cicero in Verrem, Hæc nauis onusta ex præda Siciliensi: cum ipsa quoque esset ex præda, interim sententia tota repetitur. Cicero in eodem libro. Quid Cleomenes facere potuit? non enim possum quenquam insimulare falsò. Quid inquam Cleomenes magnopere facere potuit? Ille verò apud Ciceronem locus est pulcherrimus, in quo & primo verbo longo interuallo redditum est vltimum, & media primis, & medijs vltima congruunt. Vestrum iam hic factum

reprehenditur.P.C.non meum:ac pulcherrimum quidem factum, verum, vt dixi, non meum,sed vestrum.

DE CONDVPLICATIONE.

Est verborum geminatio. *Statim subiens priorem:& est familiaris admodum Tragicis, qua vtuntur in magnis affectibus:ò Mysis Mysis : ah Corydon, Corydon.Cicero.Seruos non esse seruos , hoc est seruilis conditionis:in quo exemplo, vides,posterius ad mores prioris referri.*

TRaductio est eiusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, quæ facit, vt cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animũ, sed etiã concinniorem orationẽ reddat,hoc pacto: Qui nihil habet in vita iucundius vita,is cum virtute vitam non potest colere, Item, eum tu hominem appellas,qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petijsset.At erat inimicus:ergo inimicum sic vlcisci voluit,vt ipse sibi reperiretur inimicus. Item;Diuitias sine diuitum esse; tu vero virtutem præfer diuitijs.nam si voles, diuitias cum virtute cõparare,vix satis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint.Ex eodem genere exornationis , cum idem verbum modo ponitur in hac,modo in altera re,hocmodo:Cur eam rem tã studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?Item amari iucundum est,si curetur, ne quid insit amari. Item, Veniam ad vos, si mihi senatus det veniam. Sed hoc posterius traductionis genus meritò Quint.etiam in iocis,frigidũ videtur, πολύπτωτον,quòd in multis casibus ponitur,casuũ cõmutatio latinè dicitur. Fit aut in vno verbo, aut in pluri-

Lib.9.c.3.

Her. de 4.

pluribus: In vno, vt apud Cicer. Homines te propter pecuniam iudicio liberarunt: hominibus iniuria tui stupri dolori non fuit, Homines tibi arma, alij in me, alij post in illum inuictum ciuē dederunt: hominum beneficia prorsus concedo tibi. Et pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Et, non minus in causa cederet A. Cæcina, Sex. Ebutij impudentiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. Casus enim, paulò aliter, quàm Grammatici, Rhetores appellant, vt sint etiam verborum, tempus adsignificantium casus, in pluribus: vt, Tib. Gracchum Rempub. administrantem, indigna prohibuit nec diutius in ea commorari C. Graccho similiter occasio oblata est, quæ Republ. virum amantissimum subitò de sinu ciuitatis eripuit, Saturninum fide captum malorum perfidia per scelus vita priuauit. Tuus, ô Druse, sanguis domesticos parietes vultum parenti aspersit. Sulpitio, cui paulò ante omnia concedebant, eum breui spacio non modò viuere, sed etiam sepeliri, prohibuerunt. Qui causarum commutationem cum traductione coniunxerunt, aut annominationi subiecerunt, magnoperè mihi videntur errasse.

Quin. l. 4. ca. 5.

Pro Arch.

Pro Ceci.

4. Heren.

DE TRADVCTIONE.

Traductio est. *ταυτότητα, ni fallor, Græci vocant. Suauis est illa in 5. Aeneid.*

—intentaq; brachia remis,

Intenti expectant signum in quo exemplo audis vocem diuerso casu repetitam. Cicero hanc suauitatem non ignorauit. Feci, atque effeci, vt neuter quenquam ho-

rum pluris, quàm me faceret. Virgilius: Littora litto-ribus contraria fluctibus vndas.

Inueƈt. 1. Inueƈt. 2. SYnonymia est, cùm verba, idem significantia, congregantur. Quæ cùm ita sint, Catilina, perge, quò cœpisti: egredere aliquando ex vrbe, patent portæ, proficiscere. Et alio loco: Abijt, excessit, erupit, euasit. Nec verba modò, sed sensus quoque, idem facientes, aceruantur. Perturbatio istum mentis, & quædam scelerum effusa
Pro Milo. caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.

DE SYNONYMIA.

Synonymia. *Existimant nonnulli hanc esse, quam Græci vocant παλιλογίαν, quæ est non eiusdem verbi repetitio, sed sententiæ, vt, molemqúe & montesquam molem? Montes. Vsus Synonymiæ ad exaggerandum rem, & auditorum animos commouendos conducit: argumentum affert, causam amplificat: tunc scilicet, cùm inculcamus cum decore id, quod amplius apparere volumus.*

POlysyndeton est schema, quod coniunctionibus abundat.

Georg. 3. *Tectumq́, laremq́,*
Armaq́, Amycleumq́ canem, Cressamqúe pharetram.

DE POLYSYNDETO.

Tectumqúe, laremqúe. *Et in prosa oratione, vt apud Ciceronem, Verrina Sexta. neque priuati, neque publici, neque prophani, neque sacri tota in Sicilia quicquam reliquisse. Idem: me præ cæteris & colis, & obseruas,*

seruat, & diligit. Vsitatior est hæc figura Poetis, maximè per coniunctiones explicatas.

GRadatio reperit, quæ dicta sunt, & priusquàm ad aliud descendat, in pluribus restitit. Vel, vt, cum Cicerone definiamus, Gradatio est, cùm gradatim sursum versus reditur. Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Cic. pro Milo. Neque verò se populo solùm, sed etiam senatui commisit: nec senatui modò, sed publicis præsidijs, & armis: neque his tantùm, sed etiam eius potestati, cui Senatus totam Remp. commisit. In tertio loco, cùm dicendum fuisset, nec publicis præsidijs, & armis tantùm: consultò, quoniam id longum erat, & insuaue, pro eo dixit: neque his tantùm. Hæc figura apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideoque esset rarior debet.

DE GRADATIONE.

Gradatio. *Conceruationem nonnulli vocant: cuius figuræ apud Poetas (quod sciam) nullũ inuenies exemplum quod sanè haud multum præ se ferat grauitatis. Fuere tamẽ, qui existimarint, in Epigrammate admitti posse. Vergil. in 10. vix attigit: Antonium Salius, Saliumque. Nealtes: Hæc Scaliger in Poetica: cuius sententiæ refragari videtur Demetrius Phalereus, qui in libro de elocutione scribit, Gradationem in forma graui assumi posse, citatque exemplum illud Demosthenis: Nec hæc dixi quidẽ, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obij legationẽ, nec obij quidem, sed nec persuasi Thebanis: quam gradationẽ si quis tollat, ait, narrationem solùm esse, nihil autem graue edere. Cur autẽ*

Scali-

Scaliger dicat, Virgilium vix hanc tetigisse, non video: nam alibi dixit,

Torua lena lupum ſequitur, lupus ipſe capellam.

Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella:

quin ſi licet verum fateri, modo ne hoc ſchema affectemus, leporis, venuſtatis, iucunditatisq; non parum habet.

De figuris verborum, quæ fiunt per detractionem. Cap. XXVII.

Quin. lib. 9 ca. 3. & 8. ca. 6. Synecdoche figura.

SEquuntur figuræ, quæ per detractionem fiũt, quæ breuitatis, nouitatisque maximè gratia petuntur, quarum vna eſt ſynecdoche, nõ tropus ille, de quo dictum antea eſt, ſed verborum figura, cùm ſubtractum verbum aliquod ſatis ex cæteris intelligitur, quod inter vitia ἔλλειψις vocatur, vt Cœlius in Antonium, ſtupere gaudio, Græcus, ſimul enim auditur, cœpit. Cicero ad Brutum, ſermo nullus ſcilicet, niſi de te. Quid enim potius, ſimul enim intelligitur in priori quidem parte, eſt: in poſteriori verò, faciamus, aut aliquid ſimile. Differt ab apoſiopeſi, quæ ſententiarum eſt exornatio, quòd in ea vnum verbum, & manifeſtum quidem, deſideratur, vt in ſuperiori exemplo, & in illo etiam Ciceronis; Data lupercalibus, quo die Antonius Cæſari: vbi nihil aliud intelligi poteſt, quam hoc, diadema impoſuit. At in appoſiopeſi aut incertum eſt, quod taceatur, aut certè longiore ſermone explicandum.

Synecdoche differt ab Apoſiopeſi

4. Heren. 3. de Ora. Quin. lib. 8. cap. 3.

DIſſolutio eſt, cùm demptis coniunctionibus diſſolutè plura dicuntur. Cicer. Sit in eius tutela Gallia, cuius virtuti, fidei, fœlici-

licitati commendata est. Apta est hæc figura non De prou. in singulis modò verbis, sed sententijs etiam, vt consul. Cicero pro Archia: Hæc studia adolescentiam a- Quin. lib. lunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, 9 cap. 3. aduersis perfugium præbent, delectant domi, nõ Pro Arch. impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Dissolutionis autem, & Polysyndeti fons vnus est, quia acriora faciunt, quę dicuntur, & vim quandam præ se ferentia velut sæpius erumpentis effectus, qui dissolutionem, & articulum idem esse, putant, falluntur, cùm articulus, & in 4. ad Heren. & apud Cicer. idem 3. de Orat. sit, quod incisum.

DE DISSOLVTIONE.

Cicero pro Archia. *Et Terentius in Andria, dum ætas, metus, magister prohibebant. Sciendum est autem, illud Asyndeton perquàm elegans existimari, cùm pars quæque periodi nullo vinculo pronunciatur: vt ieiunij continuatio corpora detergit, omnem gratiam demit, succum exsugit, colorem obliterat, vigorem debilitat, habitudinem tenuat. Vsus autem huius figuræ breuitati seruit, & ad rerum celeritatem exprimendam mirificè conducit. Virgil.*

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos: itaq; magnam habet acrimoniam, & vehementiam.

ADiunctio est, in qua vnum adverbum, quod primum, aut postremum collocatur, plures sententiæ referuntur, quarum vnaquæque desideraret illud, si sola poneretur. Fit autem præpositio verbo, ad quod reliqua respiciant, hoc modo: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia: aut illato, quo plura clauduntur. Nec enim

nim is es Catilina, vt te aut pudor vnquàm à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. Medium quoq; potest esse, quod et prioribus, & sequentibus sufficiat, vt formæ dignitas aut morbo deflorescit. aut vetustate. Quod cùm fit, coniunctio figura est.

DE ADIVNCTIONE.

Adiunctio. *Quæ & iugatio dici potest, non insulsè.* Aut illato. *Ex Bucolicis:*

Compulerantque greges Corydon, & Thyrsis in vnum
Thyrsis oues distentas lacte capellas.

Disiunctio (quam perspicuitatis gratia, quoniam superioribus contraria est, hoc loco tradimus) est, cum eorum, de quibus dicimus, vnumquodque certo concluditur verbo. Cicero pro Archia: Me autem quid pudeat, qui tot annos ita viuo, Iudices, vt ab illis nullo me vnquam tempore, aut cōmodum, aut ocium meum abstraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique somnus retardauit. Et in eadem oratione. Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suũ, Chij suum vendicant, Salaminij repetunt, Smirnæi verò esse suum confirmant.

συνοικίωσις est, quæ duas res diuersas colligat, hoc modo: Tam deest auaro, quod habet, quàm quod non habet.

DE DISIVNCTIONE.

Me autem iudices. *Populus Romanus Numantiã deleuit: Carthaginem sustulit, Corinthum disiecit. Fregellas euertit. Hic enim suo verbo quatuor sententiæ cõcluduntur.*

De figuris verborum tertij generis. Cap. XXVIII.

TErtium est genus figurarum, quæ aut similitudine vocum, aut paribus, aut cõtrarijs, vertunt in se aures, & animos excitant. Cice. 3. de Orat. & in Ora. Quin. lib 8. cap. 3.

ANnominatio, quam Græci Paronomasiam vocant, est cùm paululum immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur. Ea multis & varijs rationibus conficitur: Adiectione hoc modo, Cicero pro Cluentio: Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua pernitiosissma flamma. Et, emit morte immortalitatem. Detractione sic, contra eum, qui se legationi immoriturum dixerat, pater Quintiliani: non exigo, vt immoriaris legationi, immorare. Commutatione, hoc modo Cicero in Catilinam. Hãc Reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Translatione: Videte, Iudices, vtrũ homini nauo, an vano credere malitis. Hæc figura leuis alioqui sententiarum pondere implenda est: Meritò igitur illa exempla vitandi potius, quàm imitandi gratia ponit Quintilianus: Auium dulcedo ducit ad auium: &, non Pisonum, sed pistorum: pessimum verò, Ne patres Conscripti, circumscripti videantur. &, Raro euenit, sed vehementer venit, aliaque similia. Pro Cluẽ. Inuect. 12

DE ANNOMINATIONE.

Annominatio. *Recentiores vocarunt hanc allitetationem, quæ fit, cùm literarum similitudine vocem in contrarium deflectimus, vt fragiles, agiles, amore, mora: quod*

ræ: quæ venuſtatis habet plurimum, dum Echo deſcribitur. Commutatione. *Vt Orator, Arator. Gallus, callus, de homine duro, & deligere oportet, quem velis diligere.* Hæc figura. *Sciendum eſt, hanc figuram rarò conuenire grauioribus poematibus, Epigrammati, Satyræ, & Comœdiæ maior neceſsitudo.*

4.ad Her. Quin. lib. 9.ca.3. Similiter cadens exornatio eſt, cùm in eadem conſtructione verborum duo, aut plura ſunt verba, quæ ſimiliter ijſdem caſibus efferuntur, ὁμοιόπτωτοι appellat, id eſt, ſimilem caſum, etiamſi diſſimilia ſint, quæ declinentur, nec tantùm in fine deprehenditur, ſed reſpondẽt vel prima inter ſe, vel medijs, vel extremis: vel etiam permutatis his, vt media primis, & ſumma medijs accommodentur, & quocunque modo poterunt accommodari. 1.Accuſ. in Ver. Cicero, eſt idem Verres, qui fuit ſemper, vt ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum. Li.5.accu. Et, qui in his rebus non ita defendatur, vt mediocris Prætor, ſed ita laudetur, vt optimus imperator. Pro Cæci. Et, ſi quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantùm in foro, atque in iudicio impudentia valeret: non minus in cauſa cederet A. Cæcinna Sext. Ebutij impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ. Nam in his exemplis caſus ſimiles referuntur, audendum audiendum, proiectus paratus, defendatur laudetur, mediocris Prætor, optimus imperator, agro, foro, locis deſertis, iudicijs audacia, impudentia: cauſa vi facienda, impudentiæ, audaciæ.

DE SIMILITER CAdente.

Simi-

Similiter cadens. *Aliquot ab hinc sæculis hac figura antiqui plurimum delectabantur : quæ tamen hodie etiam priscam illam barbariem ostendunt: vt illud. Talis ruina fuit in dictione bisquina: & illud Ciceronis, O fortunatam natam me consule Romam: qui tamen vsus nobis fugiendus est: nam & fidem abrogat dicenti, si affectetur, & statim nauseam affert.*

SImiliter desinens est similis duarum sententiarum, vel plurium finis, hoc est, cum orationis membra, vel articuli simili exitu terminantur. Cicero : vt eius semper voluntatibus nō modò ciues assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarunt. Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Et, non minus in causa cederet A. Cæcinna Sext. Ebutij impudentiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. Et pro Cluentio, vt & sine inuidia culpa plectatur, & sine culpa inuidia ponatur. Differt hæc figura à superiori, est enim similiter cadens, tantùm casus similis, etiam si dissimilia sint, quæ declinentur : at similiter desinens in eosdem exitus cadit, vt superiora exempla declarant: Atque eo fit, vt similiter cadens verbis, & nominibus tantùm confici possit, cùm similiter desinens illis etiam, quæ declinari non possunt, conficiatur, vt, eiusdem non est & facere fortiter, & viuere turpiter. Denique similiter cadens quouis, vt dictum est, loco, similiter desinés non insit in membris, & articulis extremis.

Pro Marc.

Pro Milo.

Quin. lib. 9. cap. 3.

DE SIMILITER DESINENTE.

Similiter desinens. *Has duas figuras, quæ tibi hic apponuntur, vnum duntaxat esse contendit Iulius Cæsar Scaliger: atque ὁμιοτελευτον omnem comprehendere desinentiam, frustraq́; se torquere cum Græcos, tum Latinos, ait. Scribit autem Demetrius Phalereus, hunc membrorum vsum lubricum esse: similitudo enim, quæ in ipsis membris est, & oppositio dissoluit formam.*

COmpar Græci vocant Isocolon, habet membra orationis, quæ constant ex pari ferè numero syllabarum. Hoc non de enumeratione nostra fiet, nam id quidem puerile est, sed tantum affert vsus, & exercitatio facultatis: vt animi quodam sensu per membrum superiori referre possimus. Cicero pro lege Manilia: Extrema hyeme apparuit, ineunte verè suscepit: media ætate confecit. Loquitur autē de bello, quod Pompeius gessit contra piratos. τρίκωλον est, quod è tribus constat membris, vt pro Cluent. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. fit etiam singulis verbis, vt 2. in Catil. abijt, excessit, erupit, inuasit.

4. ad Her. Quin. lib. 9. ca. 3. Quin. lib. 9. cap. 3.

COMPAR.

Compar. *Sunt, qui existimant, haud magnam esse virtutem hanc figuram, aliquando etiam vitium. mea quidem sententia illa non est improbanda, quæ tribus constat membris. nec Reipublicæ consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti. Gorgias & Isocrates*

crates in hac multus fuit. Habet paria membra. *In Elegis ſæpè inueniuntur paria membra,*

Semideumq́ue virum, ſemiuirumq́ue Deum.

COntrapoſitum autem, vel, vt quidam vo- 4. Heren.
cant, Contentio, vt Cicero loquitur, con- 3. de Ora.
trarium (antitheton Græcis dicitur) non
vno fit modo. Nam & fit, ſi ſingula ſingulis oppo- Cicer. pro
nuntur, vt, Vicit pudorem libido, timorem auda Cluen.
cia, rationem amentia. Et bina binis: Non no-
ſtri ingenij, veſtri auxilij eſt. Nec ſemper contra- Ibidem.
poſitum ſubiungitur, vt in hoc Ciceronis pro Mi
lone. Eſt enim hæc iudices non ſcripta, ſed nata
lex. Verùm ſicut Cicero dicit, quòd de ſingulis 3. de Ora.
rebus propoſitis refertur ad ſingula, vt in eo,
quod ſequitur, quam nõ didicimus, accepimus,
legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hau-
ſimus, expreſſimus. Magnæ veteribus curæ fuit,
gratiam dicendi è quatuor his proximis figuris
acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copioſus
vtique prima ætate Iſocrates fuit. Delectatus eſt
his etiam M.Tullius: verùm, & modum adhibuit
non ingratæ (niſi copia redundet) voluptati, &
rem alioqui leuem ſententiarum pondere imple
uit. Nam per ſe frigida, & inanis affectatio, cùm Pro Milo.
in acreis incidit ſenſus, & innata videtur eſſe, nõ
accerſita.

CONTRAPOSITVM.

Contrapoſitum. *Docet Ariſtoteles Rhetori. tertio, oppoſitam hanc elocutionem iucundam eſſe: quoniã contraria maximè nota ſunt, & cùm inter ſe conferuntur fiunt etiam notiora: & quia hæc locutio ex contrarijs argumẽtationi ſimilis eſt, & probationis vim habet.* Antitheton. *Hanc figuram Latino quo dicas nomine,*

vix compertum habebis, nisi fortaſsè tibi non diſpliceat, contrapoſitio: eſt autem hæc, Pacem orare manu præfigere puppibus arma: Ariſtoteles huius oppoſitæ elocutionis Rhetor. 3. meminit: & pleraque exempla affert, ad rem illuſtrandam, ſumpta ex Iſocratis Panegyrico. Nec ſemper contrapoſitum ſubiungitur. *Imò in hac periodo, ſumpta ex oratione pro Milone tria ſunt ornamenta, Contentio, Compar, & Similiter deſinens, quod valdè Ariſtoteli probatur.*

Commutatio eſt, cùm duæ ſententiæ, inter ſe diſcrepantes, ita efferuntur, vt à priore poſterior contraria priori proficiſcatur: Non vt edam viuo, ſed vt viuam edo. Item, ſi poëma loquens pictura eſt, pictura tacitum poëma debet eſſe. Et apud Ciceronem. Vt & ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. Hæc de verborum figuris dicta ſunt, in quibus illud notandum eſt, multas earum cadere frequenter in eaſdem ſententias, idque cum magna venuſtate. Cicero: ſi quantum in agro, lòciſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret. Compar eſt, & Similiter cadens: Non minus in cauſa cederet Aulus Cæcinna Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tunc in vi facienda ceſſit audaciæ. Compar, ſimiliter cadens, ſimiliter deſinens. Accedit & ex illa figura Gratia, qua mutatis caſibus verba repetuntur. Nó minus cederet, quàm ceſſit.

Pro Cluẽ. Pro Ceci. 4. Heren. 3. de Orat. Phil. 2.

COMMVTATIO.

Commutatio. *Sunt, qui definiant* ἀντιμεταβολὴν *eſſe, quum poſitum quippiam retorquemus in contrarium*

trarium: quod idem ferè eſt. Similis reſponſio Romuli, quum in conuiuio perparum bibiſſet, eiq; dixiſſet quidam: Si iſtud omnes faciant, vinum vilius ſit: immò verò, inquit, carum ſi quantum quiſque volet, bibet, nam ego bibi, quantum volui. Cicero, non ex domo dominus, ſed ex domino domus æſtimanda.

CORrectio eſt, quæ corrigit, quod poſitum eſt verbum. Sed ea fit duobus modis, aut enim prius verbum tantùm tollit, vt, ibi tecum, & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuiſſes (ſi hoc eſt explere, quod ſtatim effundas) & atque hæc ciues, ciues inquam (ſi hoc nomine eos appellari fas eſt) de ſua patria cogitant, aut priori ſublato, pro eo id, quod magis idoneum videbitur, reponit, vt, ſed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite, & ô hominum fortunatum, qui eiuſmodi nuncios, vel potius pegaſos, habeat. Alia correctio eſt ſententiæ, de qua ſuo loco dicemus. Dubitatio eſt, cùm quærere videtur orator, vtrùm de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimùm dicat, vt venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: vt, amici eius morbum, & inſaniam, vt Siculi, latrocinium. Ego, quo nomine appellem, neſcio: rem vobis proponam: vos eam ſuo nominis pondere penditote.

2. Philip.
Pro Quĩ.
4. Heren.
3. de Ora.
i.4. Accuſ.

CORRECTIO.

Correctio. *Admirationi locus eſſe poteſt, cur ſeorſim Soarius de Correctione, & dubitatione nunc agat, cùm ſuperiori capite viſus ſit, finem impoſuiſſe verborum figuris: ea tollitur hac ratione, quòd, vt docet Quintilianus cap. 3. lib. 9. quædam verborum figuræ*

ra paullulum sentētiarum figuris declinantur, quarum in numero, & dubitationem, & correctionem esse vult. Dubitatio. *Hæc figura, vt docet* Franciscus *Robortellius de artificio dicendi, conuenit timenti, quatenus dubitat, & ambigit, de hac inferius.*

Quid verborum figuræ orationi conferant, & quid in eis cauendum sit. Cap. XXIX.

SI quis autem parcè, & cùm res poscit, verborum figuris vtatur, iucundiorem faciet orationem. Qui verò immodicè, & sine iudicio eas adhibuerit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Danda igitur opera est, vt nec multæ sint supra modum, nec eiusdem generis, aut iunctæ, aut frequentes: quia satietas vt paucitate earum, ita varietate quoque vitatur. Quod ne his verborum figuris, quæ nobiles sunt, atque insignes intelligendum est, non de illis, quæ valdè sunt vsitatæ, ac vulgares, quæ etiam si sunt crebriores, consuetas aures minus feriunt. Ridiculum enim est, neglecto rerum pondere, & viribus sententiarum, inania verba in hos modos deprauari. Cùm enim figuræ sint quasi quidam gestus orationis, eas sine sentētia sectari, tam est ridiculum, quàm quærere habitum, gestumq́ue sine corpore. Non sunt etiam nimis densandæ. Sciendum verò inprimis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid tempus. Maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione: vbi verò atrocitate, inuidia, miseratione pugnandum est, quis feret, contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus irascentem, flentem, negantem? Cùm in his rebus cura verborum deroget affecti-

Quin. lib. 9. cap. 3.

bus

bus fidem, & vbicunque ars ostentatur, veritas abesse videatur.

De figuris sententiarum. Cap. XXX.

NVnc res ipsa monet, vt deinceps ad senten tiarum exornationes transeamus. Est au- Ci. de Or. tem sententiarum exornatio, quæ non in & in Ora. verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignita Quin. lib. tem. Atque ea de causa sententiarum ornamenta 9 ca. 3. maiora sunt. Quo genere, quia præstat omnibus Aut. ad Demosthenes, idcircò à doctis oratorum est prin Heren. ceps iudicatus. Schemata ea vocant Græci, quæ Lib. 4. maximè ornent orationem, eaque, vt definitio demonstrat, non tam in verbis pingendis pondus habent, qui in illuminandis sententijs. Nec aliud quicquam est dicere, nisi omnes, aut certè plerasque aliqua specie illuminare sententias.

INtetrogatio figura est, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi. Quousque tan- Inuect. 1. dem abutere Catilina patientia nostra? &, Patere tua consilia non sentis? Et totus denique hic locus, Quanto .n. magis ardet, quàm si diceretur? Diu abuteris patientia nostra: &, patent tua consilia. Interrogamus etiam, quod negari non possit. Cicero pro Cluentio: Dixitne tandem causam Pro Cluē. C. Fidiculanus falcula? Aut vbi respondendi difficilis est ratio, vt vulgo vti solemus: Quomodo? Qui fieri potest? aut inuidiæ, aut miseratiõis, vt Sinon apud Verg.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt Aene. 1.
Accipere?

Conuenit etiam indignationi.

Aene. 1. *Et quisquam numen Iunonis adoret?*

Et admirationi.

Aen. 2. *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

Est interim acrius imperandi genus.

Non arma expedient, totaque ex vrbe sequentur?

Et ipsi nosmet rogamus: Quale est illud Turni apud Virgilium:

Aene. 4.

Quid agam: aut quæ iam satis ima dehiscat
Aene. 12. *Terra mihi?*

INTERROGATIO.

Quoties non sciscitandi. *Hoc dicit, quia quibusdam videtur non esse figura, & mehercule si eius natura consideretur, figura non est: nemo enim non sine arte interrogat, & omnis figura ab arte, non igitur sua natura, sed vsu est figura: hæc Scaliger. Vsum interrogationis minus frequentem esse debere, videtur admonere Cicero in Paradoxis, qui Catonem Stoicæ sententiæ assertorem reprehendit, quòd minutis interrogationibus, & immoderatius coaceruatis disputationes pertractaret. A nonnullis vocatur hæc interrogatio figurata: nam alia est recta, quæ discendi gratia profertur. Interrogatio vt valet ad orationis varietatem, ita orationi plurimum virium, & aculeorum etiam addit.*

Responsio figura est, cùm aliud interroganti ad aliud, quia sic vtilius sit, occurritur, tum augẽdi criminis gratia, vt testis in reũ rogatus, an à reo fustibus vapulasset? Et innocẽs, inquit,

quit: Tum declinandi, quod eſt frequētiſſimum. Quæro an occidens hominem? reſpondetur latronem.

SVbiectio eſt, cum orator vel interrogat ſeipſum, & reſpondet ſibi: vel cum alium rogauerit, non expectat reſponſum, vt Cicero pro Ligario: Apud quem igitur hoc dico; nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam vidit, reipublicæ reddidit. Et domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Sunt autem interrogandi, & reſpondendi ſibi non ingratæ vices. Pro Lig. In Orat.

SVBIECTIO.

Subiectio. *Huius figuræ vſus crebrior eſt apud Tullium, ad impetum excitandum, ad odium, & indignationem concitandam, ad infamiam, turpitudinemq́; pariendam. Itaq; dabimus operam, vt in reſpondendo auſterius auditorem moueamus: erit enim hoc pacto præſtabilior reſponſio.*

ANteoccupatio, quam Quintilianus Præſumptionem, Græci prolepſin dicunt, eſt cum id, quod obijci poteſt, occupamus. Huc pertinet illa Ciceronis præmunitio contra Quint. Cæcilium, quòd ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderit. Verborum quoque vis, ac proprietas cō firmatur, vel præſumptione: Quanquam illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit: vel reprehenſione, quam alij correctionem appellant.

ANTE OCCVPATIO.

Vt neceſſaria eſt hæc figura, ita ſingularem prudentiam requirit. Oratori ſi quidem perpendendum eſt, quæ

tacitè hominum de re, quæ agitur, ſint iudicia: quid poſſit obeſſe, quò pendeant audientium animi, & quid ab ijs probetur.

CORrectio eſt, quæ tollit ſentētiam aliquam, & eam alia, quæ magis idonea videtur, emendat, & corrigit: Cicero: Italiam ornare, quàm domum ſuam, maluit: quanquam Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. Eſt etiam correctio in verborum exornationibus, de qua ſupra dictum eſt.

CORRECTIO.

Μετάνοιαν *Græcus quaſi pœnitentiam vocat: conuenit timenti, reprehendenti, & irato. Virg. libr. quarto Aeneid.*

—ſed prius ima dehiſcat
Terra mihi, quàm te pudor violem:

applicatur omni generi, omni figuræ, partibus omnibus orationis: ſitqúe vel augendo, vel minuendo, vel commutando. Cicero. non enim furem, ſed raptorem, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, adduximus. Idem in hoc ferendus meus error, ferendus autem? immo etiam adiuuandus: & illud: vertit Ariſtotelem, penè dixerim peruertit.

DVbitatio eſt, cum quærimus, vnde incipiendum, vbi deſinendum, quid potiſſimum dicendum, an omnino dicendum ſit. Eiuſmodi exemplis plena ſunt omnia, ſed vnum interim ſufficit: Cicero pro Cluētio: Equidem, quod ad me attinet, quò me vertam, neſcio. Negem fuiſſe infamiam iudicij corrupti: & quæ ſequūtur, & itaque quo me vertam, neſcio. &, quid agam, iudices? quo accuſationis meæ rationem conferam? quo me vertam.

Pro Cluē. Pro Lig. li. 5. accu.

DVBI-

DVBITATIO.

Annotandum est, ad dubitationem tunc maxime cōmendari, cum ad rem, de qua dicturi sumus, augēdam, & magis laudandam, dißimulamus quærere, vnde nobis sit exordiendum: quid'ue dicendum, vbi denique desinendum: hoc enim pacto orationis forma locupletior redditur per dubitationem. Exemplum habes longiusculum in Exordio de Oratore perfecto, adhibetur etiā in principijs Epistolarum demonstratiui & deliberatiui generis.

COmmunicatio non procul abest à dubitatione, cum aut ipsos aduersarios consulimus. Cicero: Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? cum ignauiæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret, improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret, consules ad patriæ salutem, ac libertatem vocarent, quam tādem authoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? Aut cum Iudicibus deliberamus, vt Cato, Si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? Et Cicero, nunc ego iudices iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis: id enim consilij mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. Pro Rab. 2. in Ver.

COMMVNICATIO.

Communicatio, *Reiectio, Detrectatio etiam dicitur: in qua obseruandum, quo pacto hac vti poßimus: scilicet, vbi non datur posse, aut inficiari, aut transferri: quare ne grauemur participē facimus aut cōsilij, aut eiusdem facti aduersariū.* Aut cum iudicibus. *Quin Cicero cum Iudice communicauit crimen, vt in Oratione in Tuberonem. Quid aliud voluimus nos, quàm*

quod

quod tu voluisti Cæsar? Id enim. *Et, quid facerem? neque ego Alcippem, neq; Phyllida habebam: hoc schema non multum dißimile est dubitationi: habetq; vim præcipuam vrgendi, & obiurgandi.*

4. ad Her. sermocinario. Prosopopœia est personarum ficta inductio, vel grauissimum lumen augendi; hac & aduersariorum, & nostros cum alijs, sermo-
4. ad Her. conformatio. nes, & aliorum inter se credibiliter introducimus: & suadendo, obiurgando, quærendo, laudãdo, miserando personas idoneas damus. Quin, mortuos excitare in hoc genere dicendi, conces-
Inuect. 1. sum est, Vrbes etiam, populique vocem accipiũt: in quibus hoc modo mollior fit figura; Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respub. sic loqueretur M. Tulli, quid agis? & quæ sequuntur. Sed magna quædam vis eloquentiæ desideratur. Falsa enim
Aene. 4. & incredibilia natura necesse est, aut magis moueant, quia supra vera sunt, aut pro vanis accipiantur; quia vera non sunt. Formas quoque fingimus sæpe, vt famæ Virg. vt voluptatis ac virtutis (quemadmodum à Xenophonte traditur) Prodicus, vt multarum aliarum rerum Ouid.

PROSOPOPOEIA.

Formas quoque fingimus. *Scias, vbi ficta persona fingitur, & introducitur, vt Fama à Vergilio, & Fames ab Ouidio, hanc non esse figuram; sed partem argumenti Poetici. quam fictionem appellat Quintilian. εἰδώλων, vt Iræ, Furoris, Dirarum.*

Quin. lib. 9. ca. 2. Apostrophe est auersus à iudice sermo: mire autem valet, siue aduersarios inuadimus: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica

ſalica gladius agebat? Siue ad inuocationem aliquam conuertimur, Vos enim iam Albani Tumuli atque Luci: Siue ad inuidioſam implorationẽ, O leges Porciæ, legeſq; Semproniæ. Cicer. pro Lig. Pro Mil.

APOSTROPHE.

Non *eſt ignorandum, vbi Apoſtrophos cum interrogatione coniuncta eſt, tantam habere vim vt ſubſilire facit auditoris animum: talis eſt illa ex 2. Aeneid.*

Hoc erat alma parens
Quod me per tela per ignes,
Eripis?

Seruit hæc figura varijs animi affectibus: Igitur ea vtemur, cum æſtuat Oratio, nam tunc ad concitandos affectus plurimum valet.

HYpotypoſis, quam deſcriptionem Cicero appellat, eſt propoſitio quædam forma rerum ita expreſſa verbis, vt cerni potius videatur, quàm audiri: vel, Eſt rerum quaſi gerantur, ſub aſpectum penè ſubiectio, vt actione in Verrem ſeptima: Ipſe inflammatus ſcelere, ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Nec ſolum quę facta ſint, aut fiant, ſed etiam quæ futura ſint, aut futura fuerint, dicendo exprimimus. Mire tractat hæc Cicero pro Milone, Quæ facturus fuerit Clodius, ſi præturam inuaſiſſet, Hæc tranſlatio temporum erit verecundior, ſi proponamus talia: Credite vos intueri, vt Cicero: Hæc, quæ non vidiſtis oculis, animis cernere poteſtis. Aut. ad Heren. De ora. 3. Cic. pro Mil.

HYPOTYPOSIS.

Quam

Quam descriptionem *Quæ si sit acuratior διατύπωσις dicitur, sin tenuior sit, Hypotyposis. Exemplo tibi sit Virgilius, qui tempestatem in primo per διατυπώσις repreſentat: ibi enim exactior, atque expreſsior eſt Oratio. at in 2. Aeneid. vbi anguium amplexu, morſuque necatur Laocoon, & liberi eius illa hypotyposis.*

Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque: adhibetur in orationem cauſa illuſtrandi, ornandi, & amplificandi.

De ora. 3. 4. Here. præciſio & abſciſſio. APoſiopeſis, quam Cicero præciſionem, non reticentiam, vt Quint. exiſtimauit, nonnulli interruptionem appellant & ipſa oſtendit affectus, vel iræ, vt Verg.

Aene. 1. *Quos ego: ſed motus præſtat componere fluctus.*

Vel ſolicitudinis, & quaſi religionis: An huius ille legis, quàm Clodius a ſe inuentam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet, viuo Milone, ne di cam conſule? de noſtrum enim omnium, non audeo totum dicere.

APOSIOPESIS.

Non reticentiam. *Rixantur ſæpe grammatici de Reticentia, & Subticentia. Sed tu has figuras ita diſtinguito, vt vbi nihil dicitur Reticentia ſit: vt, cum à Virgilio AEneæ concubitus cum Eliſa non refertur. Subticentia vero, cum apud eundem in Sexto.*

Ni iam præmiſſus Achates Afforet:

neque enim dixerat præmiſſum, & nunc dicit poſtquam venit. Oſtendit affectus vel iræ. *Et in quinto AEneid. ſeruit hæc figura ambitioni: vt, quanquam ô,*

in Bucolicis pudori : nouimus & qui te.

ETHOPOEIA est imitatio vitæ, ac morum alienorum, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos vel maximè, sæpe autem ad permouendos Cicero contra Rullum: Ineunt tandem magistratus tribuni plebis, concio tandem expectata P. Rulli, quòd & princeps erat Agrariæ legis, & truculentius se gerebat, quàm cæteri. Iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quàm ante, barbaque maiore, vt oculis, & aspectu denunciare vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur. Aut. ad Heren.

ETHOPEA.

Iam dessignatus alio vultu. *Et Ciceronis verbis obserua, vt hæc figura conueniat etiam irridenti, & contemnenti, quod sæpius videre est in Scriptis bonorum auctorum.*

EMPHASIS est, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: vel, vt Cicero definit, plus ad intelligendum, quàm dixeris, significatio. Aut. ad Her. est significatio.
Virgilius.

Demissum lapsi per funem. Aen. 2.

Idem de Cyclope:

Iacuitq; per antrum Immensum. 3. Aeneid.

Vbi prodigiosam illam corporis magnitudinem è loci spatio intelligimus.

EMPHASIS.

Hæc figura non vniusmodi est: interdũ enim talis est: Quos ego : emphasis est in pronomine : nonnunquam

fit

fit appositis verbis ad efficaciam, vt Hectorei Socij, id est fortißimi, hac autem vtuntur dolentes, & irati.

Lib. 7.

SVstentatio est figura, qua diu suspenduntur auditorum animi, atque aliud deinde inexpectatum subiungitur, vt in Verrem Cicero. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam? Deinde, cum diu suspendisset iudicum animos, subiecit, quod multo esset improbius. Aliquando etiam cum expectationem alicuius rei grauissimæ orator concitauerit, ad aliquid, quod leue sit, aut nullo modo criminosum, descendit.

SVSTENTATIO.

Valet *hæc figura ad rem augendam, atque imminuendam.*

Gra. Aut. ad Here. occupatio est. 3. de Orat.

PRætermissionem, vel præteritionem vulgo dicunt, quam Cicero reticentiam vocat, Ea est, cum dicimus, nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus, Cicero in Rullum: Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ, atque damni. Prætermitto illa, quę nemo est, quin grauissime, & verissime conqueri possit, nos caput patrimonij publici, pulcherrimam populi Romani possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub signo, claustrisque Reip. positum vectigal seruare non potuisse: eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per se & Sillanæ dominationi, & Gracchorum largitioni restitisset: non dico hoc solum in Rep. vectigal esse, quod amissis alijs remaneat, intermissis nunquam quiescat, in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustentet, hostem non pertime-

scat:

ſcat: prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo. De periculo ſalutis, ac libertate loquor.

PRAETERMISSIO.

Nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. *Eſt igitur non dicendo dicere: quamobrem ſciendum eſt, Præteritionem tunc demum plurimum leporis, & gratiæ habituram, cum ſcilicet ea, quæ ſecutura ſunt commendare, vel improbare volueris: ne ſcilicet aures elangueſcant, & animus intelligendo fiat remiſſior.*

LIcentia eſt, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debet orator, tamē aliquid pro iure ſuo dicit, quod eos minime offendat. Cicero pro Ligario: Vide, quam nō reformidem: vide, quanta lux liberalitatis, & ſapientiæ tuæ mihi, apud te dicenti, oboriatur: quantum potero vocem contendam, vt hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te. Pro Lig.

LICENTIA.

Licentia eſt. *Hanc videtur Cicero appellaſſe effrenationem, quæ vox dura quibuſdam viſa eſt, & indigna viro ſapiente.* Suſcepto Bello. *Sciendum eſt, Parrhiſiam duplicem eſſe, vna eſt libertas, quam præſefert Orator tota Oratione: ea nulla figura eſt: altera eſt oſtentatio huiuſce libertatis, & hæc eſt figura. Sed in hac obſeruandum eſt, vt ea prudenter vtamur, ne ſcilicet fortaſſe plus æquo moleſtior ſit, auditoremq́; offen-*

dat. Itaque si eam nocituram putabis, mitiganda erit. Ciceronis hoc exemplo tibi erit: reprehensurus enim senatores, ait, eos sibi esse amicos: Venio nunc ad consulares, quorum est nemo, qui non habeat mecum aliquam coniunctionem gratiæ, alij maximam, alij mediocrem, nemo nullam.

Quin. lib. 9. ca. 2. Concessio est, cùm aliquid etiã iniquũ videmur caussæ fiducia pati, atque concedere: pro Milo. excitate, excitate eũ, si potestis ab inferis, frãgetis impetũ viui, cuius vix sustinetis furias sepulti. Et libr. 2. Accus. Verum esto: eripe hæreditatem propinquis da palestritis: & libr. 5. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio redemit: humanum. Alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: vsitatum est. Non vult populus Roma. obsoletis criminibus accusari Verrem: noua postulat, inaudita desiderat: non de Prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitratur.

Li. 5. accu. Sunt, qui, cõcessionem dictorum esse, velint: qualis apud Cic. Est illa ficta defensio Verris, sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps: at est bonus imperator, & felix, & ad dubia Reipub. tempora reseruandus.

4. Aene. Sed concessio iuncta ironiæ miram vim habet, vt apud Virg.

.Aene. 6.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Et meque timoris

Pro Fla. *Argue tu Drance, quando tot stragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit.* Et apud Cice.

Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos, nimiæ pietatis & summi amoris

ris in patriam viciſſim nos pœnas, ſi ita dijs placet; ſufferamus.

CONCESSIO.

Potes etiam ſic dicere. *Conceßio fit, cum quippiam petimus, quod ſi non poſſumus impetrare, partem concedimus, vt reliquum feramus ſic Dido, vbi non poteſt impetrare, vt maneat Æneas, diſceſſum concedit ei: tẽpus inquit inane peto.*

PArenthenſis, quam Quintilianus interpretationem, vel interclusionem vocat, eſt declinatio breuis à propoſito. cum contionationi medius aliquis ſenſus interuenit. Virg. Li. 9 ca. 5. 3 de Orat. in Ora. 15.

Vare tuum nomen (ſuperet modo Mantua nobis,
Mantua væ miſeræ nimium Vicina Cremonæ) Aeg. 5.
Cantantes ſublime ferent ad ſydera Cigni.

Hęc breuiori re digreſſio, plurimis fit modis. Sed hoc exemplum rei declarandæ cauſa poſuiſſe, ſit ſatis. Longior illa digreſſio, quæ multis pars cauſæ videtur, inter figuras iudicio quorundam numeranda non eſt. Verum à Cic. numeratur his verbis. Et ab re non longa digreſſio, in quo cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus eſſe debebit. Exemplum eſt apud Cicer. de ſitu, & ornatu Syracuſarum, aliaque permulta. 3. de Ora. in Orat. In li. 5. ac cuſ.

IRonia & à Quintiliano, & a Cicer. inter ſententiarum exornationes numeratur. Differt autem ab illa, quæ tropus eſt, quod tropus breuior ſit, & apertior: At in figura totius voluntatis fictio eſt. Cic. pro Ligario, nouum crimen. C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit. Q. Ligarium in Pro Lig.

Africa fuisse:idq; C.Pansa, præstanti vir ingenio fretus fortasse ea familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque, quo me vertam, nescio. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te scire, neq; audire aliunde potuisses, vt ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. Et; quid agam iudices. & quæ sequuntur.

Li.5.accu.

DIstributio, quæ ad sententiarum exornationes pertinet, est, cũ aliquid in partes plures tribuitur, quarum vnicuiq; ratio deinde sua subiungitur, vt: Alexandro Macedoni neq; in deliberando consilium, neque in prœliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat. Nam; quum aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus: cum autem cõfligendum esset cum hostibus, fortissimus; quum vero præmium dignis tribuendum, liberalissimus. In 4. ad Here. paullò aliter definitur. Distributio est, cum in plures res, aut personas certas negotia quædam dispertiuntur neque fit nulla mentio subiectæ rationis; quia sine illa fieri potest distributio, vt exempla ibi posita demonstrant, & verba Cic. in Orat. vt aliud alij tribuens dispertiat.

Rutilius ex Arist.

Auct. ad Here. 4.

DISTRIBVTIO.

Cum aliquid in partes plures. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant secundas res ornant, aduersis perfugium, & solatium præbent, pro Archia. Est autem triplex Distributio: Generis in species, quæ diuisio dicitur: vt si officium diuidas in Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Totius in partes: vt si corpus in partes suas, in caput, collum, humeros, ventrem, pedes. &c. Subiecti in Accedentia, vel contra: hanc nonnulli enumerationem*

nem vocant bonorum: alia animi, alia corporis, alia fortunæ.

PErmiſſio eſt, cum alicui rei vehementer confidimus, & oſtendimus, nos eam tradere, atque cōcedere cuius voluntati, hoc modo: Sed ego iam iudices ſummum, ac legitimum meæ cauſæ ius omitto; vobis, quod æquiſſimum videatur, vt conſtituatis, permitto. Non enim vereor, quin etiam ſi nouum ſit vobis inſtituendum, libēter id, quod poſtulo, propter vtilitatem communis conſuetudinis ſequamini. Eſt etiam illa permiſſio, cum aliqua ipſis iudicibus relinquimus æſtimanda: nonnunquam aduerſarijs quoque: vt Caluus Vatinio, perfrica frōtem, & dic, te digniorem, qui conſul fieres, quàm Catonem. Quidam, permiſſionem factorum eſſe, volunt, vt conceſſionem dictorum, ſed conceſſio Quintiliani iudicio factorum eſt. Quin. lib. 9. ca. 2.

PERMISSIO.

Eſt etiam illa permiſſio. *Cùm quid aduerſario noſtro largimur, aut cōcedimus, id facimus, quo reliqua magis exagerari poſſint.*

DEprecatio, quam vel obſecrationem, vel obteſtationem alij appellant, eſt cum opē alicuius imploramus, Cicero pro Deiotaro: Quamobrem hoc nos primum metu C. Cæſar per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera, ne reſidere in te vllam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam inquam, dexteram, non tam in bellis, & in prælijs, quam in promiſſis, & fide firmiorem. Optatio eſt, quæ voti alicuius præbet ſignificationem, vt

pro lege Manilia, Vtinam Quirites virorum fortium, atque innocentium tantam copiam haberemus. Et pro Rabirio, Vtinam mihi facultatem causa concederet, vt possem hoc prædicare. & Phili. 9. vellem, dij immortales fecissent P. C. vt &c.

DEPRECATIO.

Conuenit figura hæc dolenti, commendanti, hortanti, etiam timenti, quatenus implorat opem. Optatio est. *Vel dic, optatio est, quæ desiderantis animi affectum explicat. Tale videtur exemplum illud Elysæ.*

Felix, heu nimium felix, si littera tantum
Numquam dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Idem enim representat, quod ei fuerat optandum: illa apertißima. O vtinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat.

Execratio est, qua malum alicui precamur. Cicero pro Deiotaro: Dij te perdant fugitiue, ita non modo nequam, & improbus, sed fatuus, & amens es.

EXECRATIO.

Conuenit hæc figura valde ira percito: Dij malefaciant isti Seguleio: & o scelus: o portentum in vltimas terras exportandum.

Epiphonema est rei narratæ, vel probatę summa acclamatio, Virg.

Aene. 1. *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

EPIPHONEMA,

Tantæ molis erat. *Ruffinianus videbatur, Epiphonema sub finem tantum collocare: quare ab exclamatione*

mationè differre hoc poterit: quod exclamatio in principio collocatur. Est autem, quod has figuras eleganter accommodemus in mouendis affectibus, & augendis: quas si obseruabis, apud Ciceronem id ita esse inuenies, apud Terentium multo magis. mouet sanè hoc Schema acriores affectus, cum scilicet rei magnitudo id postulat.

EXclamatio est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius per hominis, aut rei cuiuspiam compellationem: Cicer. in Antonium: O miserum me, consumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor. Idem contra Rullum: O perturbatam rationem, O libidinem refrenandam, O consilia dissoluta, atque perdita. Et in Catil. O tempora, O mores, Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamen viuit. Phil. 2.

SVnt & illa iucunda, & ad commendationem cum varietate, tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quæ simplicem quandam & nō præparatam ostendendo orationem, minus nos suspectos faciunt. Hinc est quasi pœnitētia ducti, vt Cicero pro Cælio. Sed quid ego ita grauem personam introduxi? Et quibus vtimur vulgo, Imprudens incidi. Vel cum, quærere nos, quid dicamus, fingimus, Quid reliquum est? &, Nunquid omisi? Et cum aliqua velut ignoramus: Cicero in Verrem: Sed earum rerum artificem quem? quem nam? recte admones, Polycletum esse dicebant. Et cum deponimus apud memoriam auditoris aliqua, & reposcimus, quæ deposuerimus. Hæc omnia dant orationi varios velut vultus. Gaudēt enim res varietate, & sicut oculi diuersarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper Quin. lib. 9. ca. 3.

animis præstant, in quod se velut nouum conuertant.

HAec de tropis, & ornamentis cum verborum, tum sententiarum dicta sint, in quorũ numero, nominibus, vi & natura explicãda vsq; adeo dissentiunt authores vel Græci vel Latini, vt non modo inter se dissentiãt, sed, quod maius est, Cicero, qui vt ornatissimus in dicẽdo, sic in præcipiendo fuit diligentissimus, ipse sibi discrepet. Nã vt Quintilianus animaduertit, multas figuras in tertio de Oratore libro posuit, quas in Oratore postea scripto, quoniam de illis mentionem non fecit, videtur repudiasse. Quasdam posuit inter verborum exornationes, quæ sentẽtiarum sunt lumina. Quædam ne figuræ quidem sunt. Non tamen est, cur quisquam vel illum, vel alios authores hac de causa temere reprehendat. Ea enim quæ de tropis & figuris præcipi possunt, valde minuta sunt, & exilia, ideoq; non multum interest, hoc ne, an illo modo sentias. Quam ego causam fuisse puto, cur idem Cicero strictim semper, & cursim illas attigerit, & nullis nec definitionibus explicatas, nec exemplis illustratas, quasi per transennam ostenderit. Iam numerus illarum, nec fuit olim certus, nec vero vnquam esse poterit. Cuius rei duas ego reperio causas. Altera est, quod nouæ figuræ, Quintiliano etiam authore, fieri adhuc, & excogitari possunt. Altera, quòd tam verborum, quàm sententiarum figuræ nõ in formas, quarum certus, sed in partes, & quasi membra, quorum infinitior est numerus, distribuuntur. Quod optime vidit Cicero: In Topicis enim cum aliud diuisionem, aliud partitionem esse docuisset, dixissetque, non esse vitiotas,

Quin. lib. 9. ca. 3.

Quin. li. 9 ca. 3.

ſum in partitione, ſi partem aliquam prætermittas, quod idem in diuiſione vitioſum eſt, ſic deinde cauſam eius rei addit. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubijciantur? partium diſtributio ſæpè eſt infirmior, tanquàm tuorum à fonte deductio. Itaque in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quot eius formæ ſint, ſubiungitur abſolutè: at cùm de ornamentis verborum ſententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non fit idem. Res enim eſt infinitior: hæc eſſe in cauſa puto, vt omnis hæc de tropis, & figuris diſputatio, non ſolùm dubia, & incerta, ſed controuerſa etiam, plenaque diſſenſionis ſemper fuerit. In qua ego, quod ſimillium veri viſum eſt, ſum ſecutus.

De Collocatione. Cap. XXXI.

SEquitur collocatio, quæ erit optima, ſi vinctam orationem efficiet, ſi cohærentem, ſi lenem, ſi æquabiliter fluentem. In ea neceſſaria ſunt ordo, & iunctura: primum igitur de ordine. Sed illud prius dicam, ſtudioſis dicendi imprimis eſſe neceſſaria ea, quæ deinceps de ordine, iuncturaque tradentur. Hæc enim ſunt, quæ clamores, & admirationes in bonis oratoribus efficiunt. Cice. 3. de Orat. 1. de Orat.

IN CAP. XXXI.

Si vinctam orationem efficiet *Quod fit, ſi ſuo loco verba ſimplicia collocantur: quæ ſcilicet maiorem dulcioremq; auribus concentum exhibeant.* Neceſſa-

ria sunt ordo & iūctura. *Res enim benè se habent, cúm ordo seruatur. Fertur Xenophon dixisse, nihil ex omnibus rebus melius esse ipso ordine: iunctura verò opus est, ne elumbis sit oratio.*

De Ordine. Cap. XXXII.

Quin. lib. 9. cap. 4. ORdinis obseruatio est in verbis singulis & contextis: in singulis cauendum est, ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius, vt sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententię, & insurgere,

Phil. 2. vt optime Cicero, Tu, inquit, istis faucibus istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, aliud enim alio magis superuenit, At si cœpisset à toto corpore, non benè ad latera, faucesque descenderet: Est & alius naturalis ordo, vt diem ac noctem, ortum & occasum dicas potius,

Act. 4. quàm retrorsum. Quædam ordine permutato fiunt superuacua, vt fratres gemini: nam si præcesserint gemini, fratres addere, nō est necesse, Verbo sensum claudere, si compositio patiatur, lōgè optimum est, Cicero in Verrem: Itaque ille M. Cato sapiens, cellam penariam Reipub. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit. At si id asperum erit, decori potius orationis erit consulendum, vt fit apud summos Græcos, Latinosq; oratores frequentissimè: Cicero in actione eadem: Nam cùm omnium sociorum, prouinciarum rationē diligenter habere debetis, tum præcipuè Siciliæ, Iudices, plurimis, iustissimisq; de causis. In oratiōe nō sunt ad pedes verba dimēsa, vt in carmine: ideoque ex loco transferuntur in locum, quo maximè congruunt, sicut in rudium structura saxorum fieri consueuit.

IN CAP. XXXII.

At si id asperum. *Id effecit Cicero in illa nobili Rabariana : An cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scæuola, cum bonis denique omnibus coire non modò salutis, verùm etiam periculi societatem.*

De Iunctura. Cap. XXXIII.

IVnctura verò vt concinna, & elegans sit, assequemur, si verba extrema cum cōsequentibus (3.de Ora.) primis ita iungemus, vt neve asperè concurrant, neve vastius diducantur. Asperum concursum efficiunt consonantes illæ, quæ sunt asperiores, (Quin.lib. 9.ca.4.) vt, S. vltima cum X. proxima, vt exercitus Xerxis: quarum tristior, etiam si bina collidātur stridior est: vt, Ars studiorum, Rex Xerxes. Hiulcam verò reddit orationem vocalium cōcursus. Pessimè longæ, quæ easdem inter se literas committunt sonabunt, vt, Viro optimo obtemperare. Præcipuus tamen erit hiatus earum, quæ cauo, aut patulo maximè ore proferuntur, vt, sensu humanitatis. E plenior litera est, I, angustior: ideoque obscurius in his vitiū. Minus peccabit, qui longis breues subijciet: & adhuc, qui præponet longæ breuem: non tamen id, vt crimen ingens expauescendum est. In quo nescias, negligentiane, an solicitudo sit peior. Necesse enim est, vt hic metus impetum dicendi retardet, & ab his, quæ potiora sunt, auertat. Quare vt negligentis est oratoris, hiusce subinde oratione vti, ita humilis est animi, atque demissi vbiq; hoc perhorrescere. In quo meritò quidam Isocratem, & eius discipulos, atque præcipuè Theopompum reprehendunt, quòd eas literas tantoperè fugerint. At Plato in populari etiam oratione crebrā habet vocalium

In Orat. Quin. lib. 9. cap. 4. lium concursionem. Cicero certè, & Demosthenes modicè respexerunt ad hanc partem. Nam hiulca nonnunquàm etiam decent, faciuntq; ampliora quædam. Habet enim ille tanquàm hiatus In Orat. & concursus vocalium molle quiddam, quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quàm de verbis laborantis. Itaque ille in Pro Marc. Mar. Oratione pro Marcel. sic ait: Dolebā enim P. C. ac vehemēter angebar, cùm viderē virum talem, qui in eadem causa, in qua ego fuisset, non in eadem esse fortuna, nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in vestro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio, à me & comite distracto. Vnde apertè intelligimus, crebram, & nimiam vocalium concursionem esse quidem vitandam, modicam verò, & quæ in loco fit, non esse reprehendendam. Videndum etiam est, ne syllabæ verbi prioris vltimæ, sint primæ sequentis, quod Ciceroni in epistolis excidit: Res mihi inuisæ, visæ sunt Brute.
Quin. lib. 9. ca. 4. Et in carmine: O fortunatam natam me consule Romam. Etiam monosyllaba, si multa sint, malè continuabuntur. Breuium prætereà verborum, ac nominum vitanda continuatio est, ne compositio minuta sit atque concisa: Et ex diuerso, longorum, afferunt enim tarditatem. Illa quoque vitia sunt, si cadentia similiter, & similiter desinentia, & eodem modo declinata multa coniugantur. Nec verba quædam verbis, aut nomina nominibus, similiaq; his continuari debent. Cùm virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia varietatis adiutæ: Illud postremò addamus hanc orationis quasi structuram, quæ ordine, iunctura-que constat, maximam quidem desiderare diligen-

gen-

gentiam, ea lege tamen, ne fiat operosè. Nam esset cum infinitis, tum puerilis labor. Stylus enim exercitatus efficit facilem hāc viam componendi. Nam vt in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur: ne inconditis verbis, & malè coagmentatis offendantur aures, quarum est iudicium superbissimum. Cice. in Orat.

IN CAP. XXXIII.

Neue vastius diducantur. *Vocem hanc inferius interpretatur hiulcam orationem.* In Oratione pro Marcello. *Et epistola prima ad Lentulum. Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi non satisfacio.* Etiam monosyllaba. *Vt, cùm sis hoc in me animo, non iam, &c.* Et ex diuerso longorum. *Vt illud in Satyris Horatij: Ambubaiarum collegia pharmacopollæ.*

De modo & forma verborum. Cap. XXXIIII.

NON est ex multis res vna, quæ magis oratorem ab imperio dicendi, ignaroque distinguunt, quàm quod ille rudis inconditè fundit quantum potest, & id, quod dicit, spiritu non arte determinat. Orator autem sic illigat sententiam verbis, vt nihil inane, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil in oratione sit redundans. Hoc oratorio fit numero, qui aptam, & concinnam, & suauem efficit orationē. Breuiter igitur origo, deinde causa, post natura, tum ad extremū vsus ipse explicetur orationis aptæ, ac numerosæ. 3. de Orat.

De origine orationis numerosæ. Cap. XXXV.

PRinceps inueniendi aptam verborum,& numerosam conclusionem fuit Thrasimachus, cuius omnia nimis etiam erant scripta numerosè. Isocrates autem ita scienter, moderatéque rem totã temperauit, vt multi existimarint, illum huius concinnitatis authorem, & principem extitisse. Vbi verò hæc formandæ orationis ratio cognita,& inuenta est, sic omnibus placuit oratoribus, vt Aristoteles, quo nemo nec doctior,nec acutior, nec in rebus vel inueniendis,vel iudicandis acrior vnquam fuit, versum in oratione vetet esse, numerum iubeat. Eius auditor Theodectes inprimis, vt Aristoteles sæpè significat, politus scriptor, atque artifex, hoc idem & sentit,& præcipit. Theophrastus verò iisdem de rebus etiam accuratius. Romani Ciceronis ferè tempore agnouerunt, cùm iam anni prope quadringenti essent apud Græcos,cùm hoc probaretur. Vsqueadeò autem hanc orationis confirmandæ rationem ipse Cicero probauit, vt non solùm eius hoc modo faciendæ,& ornandæ summus ipse artifex fuerit, sed diligentissimè etiam de tota ea præceperit.

In Orat.

In Orat.

IN CAP. XXXV.

Isocrates autem. *Plato quoque tam studiosè consectatus est numerosam compositionem, vt Aristoteles dubitarit, vtrùm scripta eius poëma, an verò soluta oratio fuerit appellanda. Scribit autem Cicero, Isocratem numero in oratione vsum, tum iucunditatis causa, tum vt varietas varietati occurreret.* Versum in o-

ratione vetet esse. *Id duplex incommodum afferre existimauit Aristoteles: tum quòd à facienda fide prorsus abesset, vti præmeditata, & cum artificio conficta, tum quòd auditorem à causa auertit, & ad numerorum concinnitatem alliciat. Non ignorandum quoque est, versum potißimùm fugiendum esse in principio, & in fine periodi: in his enim locis à quouis facilius sonus cognosci potest, quàm in alijs.* Numerùm iubeat. *Nam inquit Aristoteles, genus orationis, quod numero caret, fine caret, neque consistit.* ἀπέραντον *dixit Aristoteles, hoc est, non certo fine terminatum.* Summus ipse artifex fuerit. *Atque adeò summus, vt longè melius, & accuratius, quàm ab ipso Aristotele sit pertractata: cuius rei causam illam fortaßè suspicari possumus, quod maiorem vsum haberet in oratoria facultate, quàm Aristoteles.*

Cur numerosa oratio inuenta sit. Cap. XXXVI.

QVoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, authoresque, quos diximus. & origo inuenta est, causa quæratur, quæ facilius, & aperta est. Aures enim, vel animus potius aurium nuncio naturalem quandã in se continet vocum omniũ dimensionem. Itaque & longiora, & breuiora iudicat, & perfecta ac moderata semper expectat, mutila sentit quædã, & quasi decurtata, quibus tanquàm debito fraudetur, offenditur, productiora alia, & quasi immoderatius excurrentia: quæ magis etiam aspernantur aures. Cùm igitur fortuitò sępè, vt fit, aliquid cõclusè, apteque initio diceretur, animos hominũ, auresque pellebat, vt intelligi posset id, quod ca- In Orat.

sus

ſus effudiſſet, cecidiſſe iucundè, tunc notatum genus eſt. Notatio autem, & animaduerſio pepe-rit artem. Itaque vt poëtica, & verſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione pruden-tium, ſic in oratione animaduerſum eſt, multò illud quidem ſerius, ſed eadem natura admonen-te, eſſe quoſdam certos curſus, concluſionesque verborum. De quarum natura vt differere poſſimus, neceſſe eſt, vt de inciſis, membris & periodo prius dicamus.

IN CAP. XXXVI.

Itaque & longiora. *Duabus de cauſis numerum eſſe neceſſariū in Oratione vult Cicero: prima, ne tanquam flumen aliquod infinitè feratur oratio, ſed alicubi conſiſtat: altera, quoniam ea, quæ apta ſunt, & compoſita, beneq́ disposita, longè maiorem vim habent, quàm quæ ſoluta ſunt & libera: vt modicus exercitus, ſi benè diſpoſitus, & inſtructus fuerit, facilè vagantem multitudinem ingentem ſuperabit. Ariſtoteles autem Rhetoricorum tertio priorem tantùm ponit.*

De inciſis, membris, & periodis. Cap. XXXVII.

INciſum eſt ſenſus non expleto numero concluſus: pleriſque pars membri. Tale eſt enim quo Cicero vtitur, Domus tibi deerat? at habebas, Pecunia ſuperabat? at egebas: vbi inciſa ſunt quatuor. Fiunt & ſingulis verbis inciſa, vt, Diximus. teſtes dare volumus. Inciſum eſt, Diximus, Membrum autem eſt ſenſus, numerus concluſus, ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens, vt ô callidos homines, ô rem excogitatam:

Quin. lib. 9. cap. 4.

gitarem. O ingenia metuenda: quem quæso nostrum fefellit, id vos ita esse facturos. O callidos homines: perfectũ est, at remotum à cæteris vim non habet, vt per se manus, & pes, & caput: &, ô rem exeogitatam, ô ingenia metuenda. Quando ergò incipit corpus esse? cùm venit extrema conclusio: Quẽ quæso nostrum fefellit, id vos ita esse facturos? Periodum Cice. tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicit. Cùm temperetur autem membris omnis paulò longior circuitus, tamen aliud est cœsim, & membratim, aliud circunscriptè dicerè. Circunscriptio enim est, cùm ab initio ad finem vsque quasi in orbem inclusa fertur oratio, donec consistat in singulis perfectis, absolutisque sententijs, Cicer. pro Lege Manil. Quanquàm mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites, tamẽ hoc aditu laudis, quæ optimo cuique semper maximè patuit, non mea me voluntas, sed vitæ meæ rationes, ab ineunte ætate susceptæ, prohibuerunt. Membratim verò dicimus, cùm in singulis membris liberior insistit oratio. Cicero pro Milone: Itaque quando illius posteà sic illa, quàm à Catilina acceperat, conquieuit? Hæc intentata nobis est, huic ego vos obijci pro me non sum passus, hæc insidiata Pompeio est: Hæc istam Appiam viam, monumentum sui nominis, nece Papyrij cruentauit. Incisum verò dicimus, cùm in singulis insistit oratio, Cicero in Catilinam Inuect. 4. Veniuntur literæ, signa, manus, denique vnius cuiusque confessio. Quomodo autem, cùm in incisis, & membris, tum in circuitu numerus sit

Aristot. 3. Rhet. c. 4. Ci. in Or. Cice. pro leg. Man.

Cicer. pro Milo.

In Orat.

P adhi-

adhibendus paulò pòst dicetur. Sed quia nullus extra poëticos numerus esse potest, pedes, quibus & poëma fit, & oratio numerosa temperatur, ponamus, mox enim intelligetur inter versum, & orationem numerosam permagnum esse discrimen.

IN CAP. XXXVII.

Plerisque pars membri *Hoc dicit, quia sæpè inuenitur, incisum per se collocari, nec ad membrum pertinere: quare dicere possumus, Duo incisi genera esse, alterum, quod est pars membri: alterum, quod per se positum sensum circunducit.* Membrum autem est. *Vel dic, membrum sententiæ est comprehensio, inciso longior, quod sic dicitur, quia est pars integri diuulsa ab eo* Periodum. *Periodus membris constat, vt membra incisis: quare Demetrius Phalereus sic eam definit: Est siquidem Periodus coagmentatio ex membris, & incisis: aiunt autem, periodi duas esse partes, principium quod propositionem, & finem, quem reditum, atque reflexionem dixerunt. Iccircò Aristoteles eam definiuit orationem, quæ principium habet, & finem: quam definitionem valdè probat Demetrius. Cicero pro Deiotaro: Quæ quidem in eam partem accepta sunt Cæsar (est hoc principium, quod statim sequitur reditus) vt eum amplißimo Regis honore, & nomine affeceris.* Circumscriptio. *Vide cap. 47.*

De pedibus. Cap. XXXVIII.

Quin. lib. 9. ca. 5.

PEdes, qui duas habent syllabas numero sunt quatuor, Spondeus, Pyrrichius, Choreus, & Iambus. Spondeus est è longis duabus, vt, dicunt,

cunt,mores:illi contrarius eſt Pyrrichius,vt nouus,tulit. Choreus eſt è longa & breui, vt ſcribit,ſemper. Huic Iambus eſt contrarius,vt legũt, reos.Trium verò ſyllabarum pedes ſunt octo,Moloſſus ex tribus longis, vt,dicendi, conſeruant. Trocheus,quem Tribachum alij appellant, è tribus breuibus, vt,facimus. Dactylus ex longa, & duabus breuibus, vt littora. Anapæſtus ex duabus breuibus,& longa, vt,pietas,peragunt. Bacchius ex breui,& duabus longis,vt.amores. Antibacchius ex duabus longis,& breui,vt,audiſſe. Creticus,quem alij Amphimacrũ vocant,ex longa breui,& longa,vt poſſident. Amphibrachus ex breui,longa,& breui:vt,petebat.Cicero,ex alijs pedibus tres tantùm ponit. Pæonas duos, & Dochimum, quibus & nos erimus contenti. nec tamẽ ipſe diſſimulat, quibuſdam numeros videri,non pedes: nec immeritò. quicquid enim ſupra tres ſyllabas habet, id ex pluribus pedibus eſt. Eſt igitur Pæon primus ex longa & tribus breuibus,vt aſpicere.Pæon vltimus ex tribus breuibus & lõga,vt facilitas. Dochimus verò ex Bacchio conſtat,& Iambo,vt,perhorreſcerent.

De numero oratorio. Cap. XXXIX.

QVID interſit inter oratorium numerum, atque poëticum, itemque inter orationem & poëma, diligenter nunc attendendum eſt. Numerum oratorium Græci Rhythmum,poëticum Metrũ vocant. Quod etiam ſi conſtat vtrumque pedibus,habet tamen non ſimplicem differentiam. Nam Rhythmi ſpacio temporum cõſtant,pedes etiã ordine.In Rhythmo enim nihil refert,Dactylus ne ſit,an Anapæſtus, cũ eodem

dem temporum ſpatio vterque conſtet, in verſo pro Dactylo poni non poteſt Anapeſtus. Eſt & illud diſcrimen, quod metri ſemper idem eſt curſus, vt in Heroico carmine, Dactyli, & ſpondei. In oratione alius atque alius numerus eſt adhibendus, ita vt nullus ſit, qui non aliquo loco adhiberi poſſit. Ex his facile eſt intelligere, quàm multum inter orationem numeroſam, & poëma interſit. Verſus certis legibus adſtrictus eſt, vt nihil fiat extra præſcriptum: at in oratione nihil eſt certum, niſi vt aptè verbis comprehendatur ſententia. Itaque omnis, nec claudicans, nec quaſi fluctuans, & æqualiter, conſtanterq; ingrediens, numeroſa habetur oratio. Atq; id in dicendo numeroſum putatur: non quod conſtat totum è numeris, ſed quod ad numeros proximè accedit. Quò etiam difficilius eſt oratione vti, quàm verſibus, quòd in illis certa quædam, & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in dicendo autem nihil eſt propoſitũ, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. In quo illud eſt vel maximum, quod verſus in oratione ſi efficitur coniunctione verborum, vitium eſt, & quidem graue, ac longa animi prouiſione fugiendum, & tamẽ eam coniunctionem ſicuti verſum numeroſè cadere, & quadrare, & perficere volumus. Quod quomodo faciẽdum ſit, deinceps explicemus.

In Orat.

IN CAP. XXXIX.

Græci rhythmum. *Atqui ſub Rhythmo non minus poeticum numerum, quàm oratorium contineri vult Ariſtoteles, ſed id voluit, Orationem quidem habere rhythmum, non autem verſum: immò nec exquiſitè quidẽ rhythmum, ſed quadanteũ.* Eſt & illud diſcrimen,

men.

men. *Scribunt quidam, numerum poeticum ab oratorio sic distare. quod ille sit nimium adstrictus, certoque numero pedum, & certis regionibus, è quibus discedere non liceat, constet: hic autem oratorius, & liberior est, & nulla certè lege adstrictus, sed tota eius ratio ex Oratoris iudicio dependet: quamobrem censent doctissimi viri, difficilius esse in oratione soluta vti numero, quàm versibus. paulò pòst.* In oratione alius, atque alius. *Secùs enim si fiat, id accidit, quod scribit Aristoteles, vt sit poema.* In dicendo numerosum putatur. *Erat hæc Ciceronis opinio in Oratore perfecto, vnde hæc desumpta sunt.* Vitium est, & quidem graue. *Quod tamen vel ipse Cicero effugere non potuit, Cato, nec Salustius: cuius rei exempla collegit M. Antonius Muretus oratione prima in Catilinam: Senarios quidem Hyponacteos effugere nos dicendo nõ posse, Cicero testis est, quòd scilicet magnam partem ex Iambis constet oratio nostra.*

In qua parte ambitus debeat inesse numerus, & qui pedes maximè probentur. Cap. XL.

EST igitur intelligendum, in toto verborum ambitu numeros tenendos esse: Falluntur enim, qui censent, cadere tantùm numerosè oportere, terminarique sententiam. Etsi enim id maximè decet, quoniam aures semper extremum expectant, in eoque acquiescunt, ad hunc exitum tamen à principio ferri debet verborum illa cõprehensio, & tota à capite ita fluere, vt ad extremum veniens ipsa consistat. Et Aristotel. quidem heroum numerum grãdiorem iudicat, quem desideret soluta oratio. Iambum autem nimis è Ci. in Or. Quin. lib. 9. ca. 4.

vulgari esse sermone. Ita neque humilem, & abiectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat, plenam tamen eam vult esse grauitatis, vt eos, qui audiens, ad maiorem admirationē possit traducere. Trocheum autem, quem alij Tribachum appellant; ab oratione segregat: quia contractio, & breuitas dignitatem non habēt. Ita pæona probat, quem orationi vel oriēti, vel mediæ, vel cadenti aptissimum iudicat. Cicero autē sentit, omnes in oratione esse permixtos, & quasi cōfusos pedes. Nec enim effugere possemus animaduersionem, si semper ijsdē vteremur. Sed Creticum, Dichoreum, dochimum, pæonas cæteris anteponit, modò ne dochimus iteretur, aut continuetur. In heroo verò dactyli, & anapæsti, & spōdei pede impunè progredi licere cēset, duos duntaxat pedes, aut paulò plus, ne planè in versum, aut similitudinem versuum incidamus. Sit igitur permixta, & temperata numeris, oratio, nec dissoluta, nec tota numerosa, pæone maximè, quoniam optimus auctoritate censet, sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. In his, quæ demisso, atque humili sermone dicētur, Iambus erit frequentissimus: Pæon in amplioribus, in vtroque Dactylus. Ita in varia, & perpetua oratione hi sunt inter se miscendi, & tēperādi. Sic minimè animaduertetur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis industria. Nec verò nimius hic cursus numerorum esse debet, id enim in dicendo numerosum putatur, non quòd totum constat è numeris, sed quòd ad numeros proximè accedit. Nullus enim pes est, qui non aliquādo veniat in orationē. Miscendi ergò sunt, curandumq́; vt sint plures, qui placeāt, cicunfusi bonis deteriores lateant. Cice. pro Mar. Nullius est

In 3. de Ora. & orat. 3. de Orat.

Cicer. pro Mar.

est tantùm flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his laudem esse ampliorem, quàm eam, quam hodierno die consequtus es: in hac periodo sunt quidem alij pedes, sed qui eam iucundissima efficiunt, sunt Cretici, Dochimus, Pæon, Dactyli, & Spondei.

IN CAP. XL.

Quem desideret soluta oratio. *Sed tamē harmonia, & temperatione aliorum pedum humiliorum hunc indigere idem Aristoteles scribit, qui locus torsit multos, & in errorem induxit, vt doctißimè ostēdit M. Antonius Maioragius, & Alessander Picolomineus in sua Paraphrasi.* Iambum autem n mis è vulgari. *Id facilè cognoscitur: etenim in quotidiano sermone, non in aliud carminum genus, quàm in Iambum frequētius incidunt, atque hac de causa Tragœdiæ, Comœdiæq́;, in quibus homines familiariter loquuntur, iambico numero conscribuntur. Horat. in arte Poetica.* Dignitaté non habet. *Dignitatem non habere, existimat Aristoteles in oratione soluta: propterea quòd Lasciuus, & mollis sit: & saltationibus, quæ cordaces dicebantur, aptissimus.* Ita Pæona probat. *Altera etiam de causa Aristoteles Heroicum, Iambicum, Trochaicum numerum in oratione non admittit, quòd hi pedes continuati in versum cadant maximè: ac pæan valdè orationi accommodatus, quòd versus ex eo nullo modo confici queant.*

De initio periodi. Cap. XLI.

CLausulas diligentius, quàm cætera omnia, seruandas esse, inter omnes conuenit: quod in his maximè perfectio, atq; absolutio iu-

tur. Proximam autem clausulis diligentiam initia postulant. Nam & ad hæc intentus est auditor. Optimè hæc nascuntur aproceris numeris, ac liberis, maximè Dactylo, & pæone priore, quē idem author vt optimum probat. Cicero nobilissimum quidem numerum, eundemque amplissimum esse fatetur, sed Creticum anteponit. Anapæstus etiam, qui Dactylo est spatio par, ordine contrarius, rectè orationem incipit, Cicero pro lege Manilia: Quanquam mihi semper frequens conspectus vester: Exorsus est à spondeo, Anapesto & Cretico: Et in eadem Oratione: Testis est Italia: à Cretico, & Ita tantum bellum: & Anapæsto & spondeo: &, Qui Siciliam adijt, à Pęone priore. Initia versuum initijs orationis non conueniunt, & si Titus Liuius hexametri exordio cœpit: facturus ne operæpretium sim: Drochimus quouis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus aut continuatus numerū apertum, & nimis insignem facit, Cicero de lege Agraria: Est illud amplissimum, quod paulò antè commemoraui, Quirites. Vbi à Spondeo, & Dochimo ducitur initium.

Rheto. 3. cap. 4.
Ci. in Or.
Lege Manil.
Agrar.

IN CAP. XLI.

Diligentiam initia postulant. *Cùm enim hæc vacuas ingrediantur aures, numero certè vacare non debent. Qui enim poterit placere, quod statim, quasi è vestibulo offenderit?* Quem idem auctor. *Aristotelem intelligi puto, qui præcisè nimis certè fecisse videri potest, vni tantum Pæani cum addictos esse voluit Oratores: id certè cōmodè fieri nō potest, nec fortaßè debet: Ciceroni itaque rectius assentiendum, qui pedes omnes in oratione admisit, heroicis verò præcipuè delectatus.*

Sed

Sed creticum anteponit. *Cur anteponit, seu laudat? quia Creticus è præonico numero quoque est: non enim tantum ipsum pæonem pæonicum numerum dicimus, sed & alios, qui cum pæona paribus sunt interuallis. Hi porro tres sunt. Creticus, Bacchius, & Palimbachius, Ciceroni admodum familiares.* Exorsus est à spondeo. *Non ignorandum est, tres tantum, aut duos pedes in principio, & totidem in fine obseruari: quod à Cicerone non modo scriptum est, sed diligentissime obseruatum.* Cadit autem ille præclare. *Pes lepidus, & suauis est, choreis, & saltationibus aptus, quo frequẽter vsus est Cicero.* Aptissimum putat Aristoteles. *Quia breuis syllaba est imperfecta, iccirco mutilatam orationem reddit.* Sed ijdem hi tres pedes. *Rarissime certe, vel potius numquam oratio his claudenda est, nam longè melius Syllaba longa oratio terminatur: sua enim sponte, non ipsius scriptoris opera finis orationis apparere debet, vt in absoluto verbi orbe aures conquiescant.* Variandæ sunt igitur. *Quod elegantissimè factum videbis à Cicerone in Oratione pro lege Manilia: vbi periodum clausam videbis dichoreis, Ionicis, & Epitritis: locus est, vbi virtutes Pompeÿ testes inuocat regiones.*

De fine periodi. Cap. XLII.

IN extremo autem circuitu duo, aut tres sunt ferè seruandi, & notandi pedes: quos aut Choreos, aut spondeos, aut alternos esse oportebit. Asia geminatum Choreum, qui dichoreus vocatur, maximè secuta est. Cadit autem ille præclare: sed in orationis numero, nihil est tam vitiosum, quàm si semper est idem. Spondeus est in

clausulis firmus, & stabilis, quo plurimum est vsus Demosthenes. Pœona alterum orationi cadenti aptissimum putat Aristoteles, quem Cicero nó reijcit, sed aptiorem eo loco iudicat Creticum. Qui siue geminetur, siue spondeum præcedat, multum decoris habet in clausulis, Cicero pro Mar. Pristino more dicendi: Creticus est geminatus, & spondeus, & Conseruatam ac restitutam puto: spondeus & duo Cretici. Et, Nec vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Duo Cretici & dichoreus. Optimè etiam est sibi iunctus Anapœstus. Cic. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt possis: nec natura tua melius, quàm vt velis conseruare quàm plurimos. Ne Iambus quidem, aut patrochœus, aut etiam dactylus, si est proximus à postremo parum volubiliter peruenit ad extremum, si est extremus choreus, aut spondeus: nunquam enim interest, vter sit eorum in pede extremo. Sed ijdem hi tres male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi cũ pro cretico postremus est dactylus. nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus, quia postrema syllaba breuis, an longa sit, ne in versu quidem refert. Est & Dochimus stabilis in clausulis, & seuerus, Cic. in Antonium, Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Multæ sunt aliæ clausulæ, quæ numerosè & iucundè cadunt, quas diligentissimè ostendit Quintilianus. Etiam intelligendum est clausulas versuum non conuenire clausulis orationis, quod Bruto excidit: Quamquam sciũt placuisse Catoni, & vitandum esse, ne plurium syllabarum verbis. vtamur sæpe in fine, quod etiam in carminibus est permolle. Non desunt enim, qui

Pro Lig.

Phil. 1.

Cic

Ciceronem vituperent in his: Familiaris cœperat esse balneatori, Et pro Cælio, Non minus dura Archipiratæ. Nec illud quidem prætereũdum est, clausulas maximè apparere, & intelligi, quòd aures continuam vocem secutæ, ductæque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis iudicent, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Variandæ sunt igitur, nec aut animorum iudicio repudientur, aut aurium satietate. Hoc vicissitudines numerorum efficient, qui præstabunt, vt neque ij satientur, qui audiẽt fastidio similitudinis, nec orator, id, quod faciet, opera dedita facere videatur.

IN CAP. XLII.

Verum medijs non eo modo *Media quidem, quoniam surdius audiuntur, paullo negligentius instrui possunt. non tamen penitus omnem eorum structuræ curam abijcere debemus: nam & hæc negligentia diligens esse debet.* Pœonem quidem vt orienti, sic etiam mediæ orationi aptum. *Medijs in partibus amplissimus est vterque pœon primus, & quartus. facit enim dignitatem, amplitudinem, volubilitatem, & celeritatem. audi Ciceronem. Vincat ali –∪∪∪ quãdo cu –∪∪ piditas ∪∪– volu ∪ ptasque rati –∪∪∪ conem ––dum mo–∪do illa in ∪–∪ ∪ hoc genere –∪ ∪ ∪ præ – scriptio mo –∪∪∪ de ∪ ratioque –∪∪∪ teneatur ∪∪–∪. In hac oratione breui sex præonas primos accipere poßs: ex quibus incitatior est cursus, atque magnificentior amplitudo. De pæone quanto, exemplum.*

emplum. Fieri enim ∪ ∪ ∪ – *non poteſt* – ∪ – *vt ănimus* ∪∪∪ – *libide* ∪ – ∪ *ni de* – – *ditus amo* ∪ ∪ ∪ – *re deſi*- ∪ – – *derio cu* – ∪ – ∪ *pidita* – ∪ – *te ſæ* – – *pe nimia* ∪∪∪- *copia* – ∪ – *inopia* ∪ ∪ ∪ - *etiam* ∪∪ – *nonnunquam im* – – ∪ – *peditus hoc* ∪ – ∪ – *quicquid hoc* – ∪ – *quod nos* – – *facimus in* ∪∪∪ – *dicendo non* – – – – *modo agen* ∪∪∪ – *do ue* – – *rum etiam* ∪∪∪ - *cogitan* – ∪ - *do ſuſti*- – ∪ *nere poßit*. – ∪ – ∪ *Hic octo pæconas ex ternis breuibus, & ſingulis longis dimetiri queas.*

De media periodo. Cap. XLIII.

3. de Ora. SI primi poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſeruati, medij poſſunt latere, modo ne circuitus ipſe verborum ſit aut breuior, quàm aures
Quin. lib. expectent, aut longior, quàm vires atque anima
9. cap. 3. patiatur. Verum medijs non ea modo cura debet eſſe, vt inter ſe cohæreant, ſed ne pigras, ne longa ſint: ne, quod nunc maximum vitium eſt, breuium contextu reſultent, ac ſonum reddant penè puerilium crepitaculorum. Nam vt initia, clauſulæque plurimum momenti habent, quoties incipit ſenſus, aut deſinit: ſic in medijs quoque ſunt quidam conatus, qui leuiter interſiſtunt vt currentium per etiam ſi non moratur tamen veſtigium facit. Itaque non modo membra, inciſo bene incipere, atque eludi decet, ſed etiam in ijs, quæ non dubiè contexta ſunt, nec reſpiratione vtuntur, ſpiritum ſuſtinemus, quis enim dubitet vnum ſenſum, & vnius ſpiritus eſſe, Animaduerti, Iudices, omnẽ accuſatoris orationẽ in duas diuiſam eſſe partes. Tamen & duo prima verba, & tria proxima, & deinceps duo rurſus ac tria, ſuos quaſi numero habent, ſpiritum ſuſtinentes:

nentes: sicut apud rhythmicos æstimãtur hæ particulæ prout sunt graues, acres, lentæ, celeres, remissæ, exultantes. Proinde id, quod ex illis conficitur, aut seuerum, aut luxuriosum, aut quadratum, aut solutum erit. Pœonem quidem vt orienti, sic etiam mediæ orationi aptum esse M. Tullius fatetur. Idem Dochimum quouis loco aptum esse confirmat. Creticos etiam & Bachios nonnulli meritò in hac parte laudant. Fluit autem omnino omnino numerus à primo, tum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius. Quare, si orationem ferri celerius volemus, crebros trocheos, & Iambos inseremus: si lentius incedere, spondeos frequentes interponemus: si moderatius ingredi, ijs pedibus vtemur, qui breuibus, lõgisque syllabis temperantur, cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem. Orat. Orat.

De his, quæ suapte natura numerosa sunt. Cap. XLIIII.

ALiquãdo suapte natura numerosa sunt, quę dicuntur, etiam si nihil factum est de industria. Cum enim sunt casus in exitu similes, aut paribus paria referuntur, quasi sua sponte cõcinnitatem habet oratio, vt in illo Ciceronis pro Milone, Est enim iudices hæc non scripta, sed nata lex, quam nõ didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Hæc enim talia sunt, vt quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus, non quæsitum esse numerum, sed secutum. Quod fit item referendis contrarijs. In hoc In Orat. Pro Mil. Act. 4. in Ver.

hoc genere Cicero frequens eſt, vt illa ſunt in quarto accuſationis: Conferte hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines cum illius continentia, ab illo, qui cepit conditas; ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. quæ ſunt venuſtiſſima. Semper enim hæc, quæ à Græcis antitheta nominari ſupra diximus, cum de figuris ageremus, numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt, & eum ſine induſtria.

Quæ vitia ſunt vitanda in oratione numeroſa. Cap. XLV.

HAEC tamen vitia in tota hac re diligentiſſime ſunt vitanda, imprimis ne aperte verba traijciantur, quò melius aut cadat, aut voluatur oratio: deinde, ne inania quædam verba, quaſi complementa numerorum inculcentur: tertiò, nè minutis numeris concidatur, infringaturque ſententia: Sed verba iam probata & electa concinnè coagmententur. Nam vel dura inter ſe commiſta potiora ſunt inutilibus. Multa ſunt autem, quæ his vitijs declinatis, numeroſè componendi laborem minuant. Sunt enim multæ figuræ, quibus & caſus numeri poſſint variari. Sunt multa etiam, quæ idem valent, atque ſignificant, ex quibus exercitati facile illud eligunt, quod inſtitutæ verborum comprehenſioni maxime quadrat.

Quin. lib. 9 ca. 4.

De magnitudine ambitus. Cap. XLVI.

Habet

HAbet autem periodus membra minimum duo, sæpe etiam & tria: Cicer. pro leg. Ma. Nam cum antea per ætatem nondum huius authoritatem loci contingere auderem, statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. Cicero eum ambitum mediocritatẽ habere, ait, qui quatuor ferè membris constat: Nam & aures implet, & nec breuier est, quàm satis sit, nec longior. Vult autem, vt è quatuor, quasi hexametrorum versuum instar quod sit, constet Pro Mil. ferè plena comprehensio. Eius generis est illud pro milone, Ego cum tribunus plebis Republica oppressa me senatui dedissem, quem extinctum acceperam: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem athoritatem Quin. li. 9 Clodianis armis abiecerant: mihi vnquam bono- ca. 4. rum præsidium defuturum putarem. Debet autem periodus sensum concludere: sic etiam aperta: vt intelligi possit, & non immodica, vt memoria contineri possit.

IN CAP. XLVI.

Minimum duo. *Aristoteles tamen scribit, periodum etiam simplicem esse eam, quæ ex vno membro constat: & certe videmus, interdum sententiam vno mẽbro esse perfectam, vt. Dies adimit hominibus ægritudinem. Hæc Ciceroni membrum, non periodus esset* Sæpe etiam & tria. *Fiunt etiam ex quinque membris, & sex, & septem. Sed cauendum est, ne non intelligentia possit comprehendi. Iccirco placuit Aristoteli, periodum eam magnitudinem habere, quæ facilè mentis oculis posset perlustrari.* Nam & aures implet.

Ciceronis

Ciceronis hac sunt in Oratore perfecto. Eius generis est illud. *Tale est exordium pro A. Cecinna. Si quantū in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudicis impudentia valeret, non minus in causa cederet A. Cecinna Sextij Ebutij Impudentiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ: vbi & hoc obseruatione dignissimum cernis, quod propositio duorum membrorum reditum, & reditus totidem membrorum propositionem habet.* Debet autem periodus sensum concludere. *Hoc idem docebat Aristoteles Rhetoric. 3 dicebat enim si periodus diuisa fuerit, contrarium sensum elicit: affertq; exemplum ex Sophocle. Eidem etiam Aristotele placuit, periodum hac tria habere: vt perfectum continet sensum : vt in ea sint distinctæ partes, quæ membra dicuntur: & ne longior sit, quàm spiritus dicentis patiatur, quod idem hic dicitur.*

De numero, qui est membris, & cuiusmodi ea esse debeant.

CAP. XLVII.

Ci. in ora. Quin. lib. ca. 4.

QVid sit membrum, quid incisum, quid ambitus antea dictum est. Illud etiam est explicatum aliud esse circūscriptè, aliud mébratim dicere. Illuc enim circunscribitur verborum comprehensio, donec in clausula tandem cōsistat: hic in singulis mēbris oratio insistit. Quod in pronuntiando magnopere reficit spiritum, vnde fit, vt oratio quam membris carpimus, longior multo esse possit, quàm ea, quæ constat circuitu, Ita vt aliquando ad quindecim, aliquando ad viginti mēbra excurrat, Cicero pro Milone: Occidi, occidi non Spurium Melium, & quæ sequūtur.

tur. Nihil autem tam debet esse numerosum, quã hoc, quod minime apparet; & valet plurimum. Spondeum hic Cicero vehementer commendat. Nam etsi, quod est è longis duabus, hebetior videtur, & tardior: habet tamẽ stabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum: in incisionibus vero multo magis, & in membris: paucitatem enim pedium, grauitatis suæ tarditate compensat.

IN CAP. XLVII.

Spondeum hic Cicero vehementer probat. *Claudere optimè orationem Spondeum, præsertim si præcedat Iambus, aut Choreus, ex Ciceronis scriptis facile videre est: nam huiusmodi clausula maxime familiaris ei fuit: vt, Amicorum temporibus transmittendum putaui Vicos exustos esse complures. Sciendum tamen est, si alter præcesserit spondeus, nimis tardè orationem ferri ad clausulam: & multo magis, si spondeus geminetur in diuersis dictionibus: Vt, hoc approbant omnes docti: quod autem affert auctor: Nam, & si quod est è longis duabus: id omne sumptum est ex Cicerone de Oratore perfecto.*

In quo scribendi genere circunscripta, in quo sit membratim dicendum.

CAP. XLVIII.

IN historia laudationibus, totoque eo genere, quod Græci ἐπιδεικτικὸν nominant, quod quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum sit, omnia Isocrateo, Theopompeoque more, illa circumscriptione, & ambitu dicẽda sunt, vt tanquam in orbe inclusa currat orat. Itaque posteaquam est cognita hæc vel circumscriptio,

vel comprehensio, nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem eius generis, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a iudicijs, forensique certamine, quin redigeret omnes in quadrum, numerumque sententias. Genus autem hoc orationis nec totum assumendum est ad contentiones, & causas veras, nec omnino repudiandum. Si enim semper vtare, cum satietatem affert, tum quale sit, ab imperitis etiam cognoscitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum sensum, actoris tollit funditus veritatem, & fidem. Sed quoniam adhibenda nõnunquam est, primum videndum erit, quo loco, deinde quandiu retinenda sit, tum quot modis commutanda. Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatus, vt Cicer. in accusationis secundo de Siciliæ laude dixit, aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quàm doloris, vt in quarto accusationis idem Cicero de Syracusarum situ dixit. Est etiam apta prooemijs maiorum causarum, vbi solicitudine, miseratione, commendatione res eget. Sæpe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerosè & volubiliter oratio. Id autem tum valet, cum is, qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim id agit, vt insidiantem obseruet, sed iam fauet, processumque vult, dicendique vim admirans, non inquirit, quod reprehendat. Hæc autem forma perorationes quidem includit, sed in reliquis orationis partibus retinenda non diu est. Nam cum locis supradictis ea fuerimus vsi, tota dictio est ad incisa & membra transferenda. Incisim autem & membratim tracta oratio, in veris causis plurimũ valet,

valet, maximeque his locis, cum aut arguas, aut refellas.

IN CAP. XVLIII.

Omnia Isocrateo. *Aiunt, Isocratem nihil scripsisse, quin redigeret omnes ferè in quadrum, numerumque sententias, quod facile animaduertent, qui Isocratem, grecè præsertim, legerint.* Cum facietatem afferent. *Iudex enim rebus magis, quàm verbis animum solet aduertere: dicere autem in forensi negotio semper compositè, & numerosa concinnitate, sophistarum, non Oratorum est.* Detrahit actionis dolorem. *Cum enim numerus delectationi seruiat, delectatio, & voluptas dolori aduersatur. opus est autem, vt iudex irascatur, doleat, & misereatur, sine quibus victor orator abire ex iudicio non potest.* Laudandum est aliquid ornatius. *Id perfectißimè factum fuisse à Cicerone in illa diuina oratione pro lege Manilia, qua laudes Pompeij complexus est, videbis: in eam siquidem omnem ornandi copiam, omnes dicendi lepores, atque venustates congeßit. Plena quoque est huiusmodi ornamentis seruanda Philippica, quæ in reprehensione M. Antonij versatur: vt videre iam poßimus, genus dicendi, quod exercitationibus accommodatum est, nullam formam venustatis, nullam ornamenti, & suauitatis prætermittere.* Sæpe etiam in amplificanda re. *Sed hic diligentia maxima est opus: nam cum amplificationis partes diuisæ sint, indignatio, & commiseratio diuersos pedes, diuersos numeros postulant. Commiseratio numeros amplos, & graues petit: vt dactilos, spondeos, creticos, pæones, bachios, palimbachios, dochimos, & huiusmodi, quos obser-*

uabis in illa commiseratione pro C. Rabirio posthumo. Sed vt omnium vel suspitioni, vel maleuolentiæ, vel crudelitati satisfiat, ocultat pecuniam Posthumus, latent regiæ diuitiæ, &c. Indignatio autem pedes asperos, vt quia breuibus assurgunt in longas, postulat, cæsim, membratimque dici vult. Periodum rarius admittit, nec concursu vocalium caret, & asperiore consonantium iunctura. Talis est illa in Verrem. Numquam tibi, populi Romani absentis dignitas, numquam species ipsa huiuscemodi multitudinis in oculis, animoque versata est, numquam te in horum conspectum rediturum, numquam in forum populi Romani venturum, numquam sub legum, iudiciorumque potestatem casurum esse putasti.

Qua ratione paretur hæc facultas aptè, ac numerosè dicendi. Cap. XLIX.

Cl. in ora. HAEC autem facultas aptè, atque numerosè dicendi, non est tanti laboris, quanti videtur. Nec ideo hæc tractantur à summis viris, vt oratio, quæ ferri debet, ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis syllabis consenescat. Satis enim in hoc oratorem formabit multa scribendi exercitatio, vt ex tempore etiam aptè, numerosèque dicat. Ante enim circunscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt, quæ mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, vt suo quoque loco respondeat. Quod si Antipater ille Sidonius solitus est versus Hexametros, aliosque varijs modis, ac numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, vt cum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba se-

querentur, quanto id facilius in oratione, exercitatione, & cõsuetudine adhibita, cõsequemur? Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quàm oratio. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac hæc etiam soluta varijs modis, multorumque generum oratio. Et vt mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus, sic orationis genus ad omnem rationem, & ad aurium voluptatem, & animorum motum facile mutatur, & vertitur. Neminem itaque Pæon, aut Creticus ille, aut Dichoreus conturbet, ipsi occurrent orationi ipsi, inquam, se offerent, & respondebunt non vocati, consuetudo modo adsit scribendi hoc modo atque dicendi: Vt enim musici accuratè primo, & cogitatè suæ artis præscripta, & formulas obseruant, at vbi vsus accessit, sine cogitatione etiam, & cura eadem illa incredibili celeritate efficiunt: sic vbi orator hoc modo scribere initio consueuerit, sine vllo labore postea similiter scribet, ac dicet.

Quanti momenti sit aptè dicere. Cap. L.

QVantum autem sit aptè dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris benè structam collationem dissoluas, permutatione verborum; corrumpetur enim tota res; vt hæc Ciceronis in Corneliana: Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios, multi venalitij, mercatoresque superarunt. immuta paululũ, vt sit: Multi superarunt mercatoris, venalitijque: perierit tota res. Et quæ sequũtur: Neq; vestis, aut cælatùm aurum & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi Eunuchi è Syria,

Ci. in Ora
Quin. li. 6
ca. 4.

Aegyptoque vicerunt. verba permutata ſit, vt ſit, vicerunt Eunuchi è Syria, Aegyptoque. Adde tertium, Neque vero ornamenta iſta vilarum, quibus L. Paulum, & L. Mummium, qui rebus his vrbem, Italiamque referſerunt, ab aliquo video perfacile Diliaco aut Syro potuiſſe ſuperari: fac ita, potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro, aut Diliaco. Vides ne, vt ordine verborum paulum commutato, ijſdem verbis ſtante ſentẽtia, ad nihilum omnia recidãns, cum ſint ex aptis diſſoluta? Aut ſi alicuius inconditi arripias diſſipatam aliquam ſententiam, eamque ordine verborum paulum commutato in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluẽs ac ſolutum. Age ſume de Gracchi apud cenſores illud. Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit probos improbare, qui improbos probet. Quanto aptius ſi ita dixiſſet: Quin eiuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare? Hoc modo dicere nemo vnquam noluit, nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem alter dixerunt, hoc aſſequi non potuerunt. Res autem ſe ſic habet, vt breuiſſimè dicam, quod ſentio, Compoſitè & aptè ſine ſententijs dicere, inſania eſt: ſententioſè autem ſine verborum & ordine, & modo infantia: ſed huiuſmodi tamen infantia, vt ea qui vtantur, non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerunque prudentes. quo qui eſt contentus, vtatur. Eloquens vero, qui non approbationes ſolum, ſed admirationes, clamores, plauſus, ſi liceat mouere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, vt ei turpe ſit, quicquam aut ſpectari, aut audiri libentius. Hæc Cicero in oratore. Quare cum Ariſtoteles, qui aureum fundit flumen orationis,

cum Theophrastus, qui diuinitate loquendi nomen inuenit: cum Isocrates, quem eloquentiæ partem Cicero appellat: cum Demosthenes, cui sine dubio summa vis eloquentiæ conceditur: cùm Cicero, qui primus cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquauit, hanc eloquentiæ partem tanti fecerit, eam nobis summa debemus industria, summo etiam studio comparare.

IN CAP. L.

Mercatoresque superarunt. *Audisne comprehensionem venustam, & quasi in quadrum redactam: nam & verbo clauditur, quod Fabius probat, cum id apte fieri queat, numeris aptissimis terminatur, palymbachio scilicet, & Ionico à minori, vtrumque spondeo præcedente.* E Syria, ægiptoque vicerunt. *Hæc quoque comprehensio, vt superior, & verbo conclusa est, numero & optimo. cadit enim in spondeum, præcedente Iambo, qui numerus est amplissimus, & grauissimus.* Aut si alicuius inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam. *Non extra rem esse, huc afferre, quod litterarum monumentis traditum est, existimo. Aiunt enim Lazaro Bassanensi olim orationem Philelphi redditam fuisse, eruditam, pulcherrimarumque sententiarum satis refertam, verum nulla structa collocatione constantem, sineque numero. quam cum legisset Bassanensis grauiter ferens exiguum Philelphi iudicium, verborum ordine commutato, eidemque numerum quendam affingens, talem eam effecit, vt non à Philelpho, sed ab alio profecta videretur.*

De tribus generibus dicendi. Cap. LI.

Ci in Ora Quin. lib. 9. ca. 4.

PErspicuum est, aliud dicēdi genus in paruis causis, aliud in modicis, aliud in grauib⁹ desiderari. Nec solum variæ causæ variū dicēdi genus efflagitant: sed diuersæ orationis partes diuersam quoque orationis formā postulant. Quod

Ci. in ora. Quin. lib. 12. ca. 10.

cum ita sit, quot sint genera dicendi, & in quibus tum causis, tum orationis partibus ea sint adhibēda, dicamus. Tria sunt igitur dicendi genera, in quibus omnibus peræque debet florere excellēs, & perfectus orator: Vnum subtile, acutum, & tenue: Alterum vehemens, copiosum, & graue. Tertium est interiectum intermedium, & quasi temperatum, in quo neq; est acumen superioris generis, nec vis posterioris. Cum autem oratoris tria sint officia docere, mouere, & delectare: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo versatur. In genere subtili forma debet esse orationis à vinculis numerorum libera, & soluta, non tamen vaga, vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare. Diligentia etiam coagmentandi verba prætermittenda est, & omnis insignis ornatus remouendus. Ponentur tamen acutæ, crebræque sententiæ: ornamenta verborum & sententiarum cum tropis verecundè parceque adhibebuntur: translationes tamen poterunt esse crebriores, nec tam crebræ tamen quàm in genere dicendi amplissimo. Genus temperatum yberius est aliquanto, & robustius, quàm hoc humile, de quo dictū est: summissius autem, quàm illud, de quo dicetur amplissimum:

ſimum: Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimumque eſt in hac oratione ſuauitatis. In idem verborũ cadunt lumina omnia, multa etiam ſententiarum. Hoc in genere neruorum vel minimum, ſuauitatis autem eſt, vel plurimũ. At illud autem amplum, graue, copioſum, ornatum, vim profectò habet vel maximam, modò enim perfringit, modò irrepit in ſenſus, inſerit nouas opiniones, euellit inſitas. Hic orator & defunctos incitabit, vt Appium Cæcum. Apud hũc & patria ipſa exclamabit, aliquemque (vt apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu) alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationem, & vi ſuperlationum quoque eriget: vt, Quæ Charybdis tam vorax? & Oceanus medius fidius ipſe: hic iram, hic miſericordiam inſpirabit: hic dicet, Te vidit, & fleuit, & appellauit, & per omnes affectus tractatur. His tribus generibus vtetur orator, vt res exiget, nec pro cauſa modò, ſed pro partibus cauſæ. Magni igitur iudicij, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator huius tripartitæ varietatis. Nam & iudicabit, quid cuique opus ſit, & poterit quocunque modo poſtulabit cauſa, dicere. Ad cauſas tenues, cuiuſmodi eſt cauſa pro Cecinna, ſummiſſum: ad graues, qualis eſt Rabirij, vehemens: ad mediocres, ex quo genere eſt pro lege Manilia, temperatum dicendi genus accommodandum eſt. In eadem etiam ratione ad conciliandum quidem mediocre: ad docendum verò atque probandum, ſubtile & enucleatum: ad mouendum graue debet adhiberi. Eſt enim eloquentis proprium, parua ſummiſſè, modica temperatè magna grauiter dicere. Multum etiam refert quæ ſit perſona eius, qui dicit,

In orat pro Cæſa.
Orat. 1.
Phil. 2.

& eorum, qui audiunt. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum. In omnibus autem rebus videndum est quatenus. Et si enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quàm parum: vnde fit vt eloquentiæ, sicut reliquarum rerum, fundamentum sit sapientia. Hæc de elocutione dicta sint. Nunc quoniam omnia conformandæ, & expoliendæ orationis præcepta exposita sunt, ordine, vt instituimus, ad memoriam transeamus.

IN CAP. LI.

In genere subtili. *Pedes, qui demissæ orationi conueniunt, octo potissimùm sunt: Iambus, Choreus, Tribrachus, Molossus, Dijambus, Dichoreus, Choriambus, & Antipastus, & aliquando Dactilus: id ita esse, videre est ex oratione, quam pro Cecinna habuit Cicero. quæ tota demissa est:* Genus temperatum. *Hoc omni numerorum genere temperatur, atque ita variatur, vt magnam præ se iucunditatem ferat. Delectatur præcipuè Dactilo, Spondeo, Anapæsto, Scolio, & simplicibus: ex compositis autem Dichoreo, Antipasto, Choriambo, Ionicisq; ambobus: id videbis in Oratione pro Lege Manilia.* Ad illud amplum. *Pæonem hoc maximè requirit, & eos pedes, qui pæoni sunt æquales: qualis est Creticus, & Palimbachius: & ex compositis in ampla oratione frequentes sunt Ionici, & Epitriti: quod liquet ex Oratione, quam habuit Cicero pro Cornelio Balbo.* Sed pro partibus causæ. *Nam est, quod sciamus, tenue dicendi genus plus iuris habere in conformatione,*

tione, & confutatione, quàm in Procemio, & Peroratione, in quibus conciliandus, mouendusque est auditor. Ad causas tenues. *Alia siquidem vestis ciui, alia patritio, aliæ militi conuenit.* Ad conciliandum quidem mediocre. *Cauendum in hoc genere à verbis sonoris, ambitiosis, vanis: grauitatis plena sunt eligenda: translata, quæ dulciora sunt, modesta, ac temperata: vtetur autem hoc facilius in genere Deliberatiuo, quàm in reliquis, & magis in exordio, quàm in cæteris partibus.* Ad docendum subtile, & enucleatum. *Spectat enim eò vt argumentis, & rationibus veritatem rei dubiæ, & quæ in tenebris latebat lumen velut quoddam afferat. Verbis itaque proprijs, significantibus, ab omnibus probatis, vtetur: noua, translata, composita, peregrina verba sunt fugienda: neque ignorandum, aptius hoc esse iudiciali, & deliberatiuo generi, quàm demonstratiuo.* Ad mouendum graue. *In quo verba sonantia elata magnifica, metaphoræ illustriores, & quæ aptiores sunt ad amplificandū, dominantur: nouis, compositis, Epithetis, & verbis peregrinis vtetur.*

De memoria. Cap. LII.

MEmoriæ artem primum omnium instituisse ferunt Chium Simonidem. Cùm enim celebri & frequenti conuiuio interesset de triclinio egressus est. Eo egresso triclinium supra conuiuas corruit, atq; ita contudit, vt cùm eos humare vellēt sui, nō possent obtritos internoscere vllo modo. Tūc Simonides dicitur ex eo, quòd meminisset, quo eorū loco quisq; cubuisset, demōstrator vniuiusq; sepeliēdi fuisse. Ex hoc Simonidis facto notatum videtur, iuuari memoriā signatis animo sedib⁹. Quod suo quisq; etiam

Cicer. 3. de Orat. Quin. lib. 11. ca. 2

etiam experimento credere poteſt. Nam cùm in loca aliqua poſt tempus reuerſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantùm, ſed etiam, quæ in ei fecerimus, reminiſcimur, perſonæq; ſubeunt, nonnunquàm tacitæ quoque cogitationes in animum reuertuntur.

IN CAP. LII.

Memoriæ artem. *Duplicem eſſe memoriam, ſcire debemus, naturalem ſcilicet, & arcificialem: hic de Artificiali tantùm agit: erit autem fortaßè non inutile ſcire, quæ ſit memoriana turalis, cuius tuendæ ſtudioſores eſſe debemus, quàm comparandæ artificialis, in qua plurimum laboris ineſſe, quis non videt? Definitur memoria naturalis, vis animis inſita, quæ & facilè res percipiat, & fideliter contineat: ad hanc autẽ exacuendam quatuor neceſſaria eſſe affirmant non indocti homines. Primum bono ordine digerere memoriæ commendanda: deinde attentè meditari, ſæpiuſque eadem repetere. Poſt, affectu quodam peculiari lætitiæ, aut doloris, in rem memorandam ferri. Denique, crebrò repetere memoria quælibet infixa, atque ita memoria redditur fidelis, atque tenax.*

An memoria ſit eloquentiæ pars. Cap. LIII.

ETiamſi memoria eloquentiæ cum alijs artibus ſit communis, tamen artificioſa memoria oratoriæ artis meritò pars exiſtimatur. Neſciretur enim quanta vis eius eſſet, quanta diuinitas, niſi in hoc lumen orandi vim extuliſſet. Non enim rerum modò, ſed etiam verborum ordinem præſtat, nec ea pauca contexit, ſed propè

in infinitum, ita vt longiſſimis actionibus prius audiendi patientia, quàm memoriæ fides deficiat. Non immeritò igitur theſaurus hic eloquentiæ dicitur, cùm exemplorum, legum, ſapienter dictorum, benéque factorum velut quaſdam copias, quibus abundare, quaſque in promptu ſemper habere debet orator, incredibilis eius vis repræſentet.

IN CAP. LIII.

Non enim rerum modò, ſed etiam verborum ordinem præſtat. *Marcus Antonius Muretus lib. 3. cap. 1. Variarum lectionum incredibilia, vera tamen, de homine, genere Corſico, commemorat: qui memoria tantùm pollebat, vt profiteretur, triginta ſex millia nominum ſe recitare poſſe eodem non modò ordine, quo eſſent dictata, ſed etiam ab vltimo incipiens surſum verſus ad primum. Quid? rurſus ita, vt primum, tertium, quintum, ac ſic deinceps omnia diceret. Vide locum, lectu ſiquidem iucundus eſt.*

De artificio memoriæ. Cap. LIIII.

ARtificium igitur memoriȩ à veteribus traditũ, locis conſtat & imaginibus. Itaq; ijs, qui hanc ingenij partem exercent, loca multa prius animo capienda ſunt ſpatioſa, multa varietate ſignata, illuſtria, explicata modicis interuallis, vt ædiũ ferè magnarum, aut alterius ædificij: Hæc animo diligenter ſunt affigenda, vt ſine cunctatione ac mora partes eorum omnes cogitatio poſſit ordine percurrere. Plus enim quàm firma debet eſſe memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. Tum ea, quæ fuerint ſcripta, vel cogitatione comprehenſa,

henſa, ordine his locis ſunt commendanda, ſignis, quæ memoriam eorum excitent, notata. ita fiet, vt res ordine teneantur. Exempli gratia, ſi ſit de nauigatione, re militari, & agricultura dicendum, nauigationis anchora, re militaris gladius, vel ſpiculum, agriculturæ ſpica vel ſimile aliquid imago eſſe poteſt. Hæ imagines ſupradictis locis ordine ſunt committẽdæ. Deinde, cùm repetenda fuerit memoria, incipies ab initio loca recenſere, & quod cuiq; credideris, repoſces. Imago enim cuiuſque admonebit, vt quamlibet multa ſint, quorum meminiſſe oporteat, ſint ſingula connexa quodam choro. Sic enim fit, vt ordinem rerum locorum ordo cõſeruat, res autem ipſas rerum effigies notent. Vtendum eſt autem imaginibus, aliquid agentibus, acribus, inſignitis, quæ occurrere, celeriterque percurrere animum poſſint. Loca quæ aſſumpſeris, egregiè, commoditerque notare oportebat, vt perpetuò hęrere poſſint. Nam imagines pro rerũ varietate ſubinde ſunt mutandæ, at loca perpetuò remanere debent.

IN CAP. LIIII.

Artificium memoriæ. *Scripſerunt multi de memoria artificiali, tum Latinè, tum Etruſce: ſed medius fidius circumferuntur duo libri de memoria reparanda, augenda, ſeruandaq; auctore Gulielmo Grataroło, Medico Bergomate, qui vt doctiſsimi ſunt, ita legentibus miram delectationem afferunt. Secundus liber totus eſt, de locali, vel artificioſa memoria. Suadeo, vt hunc ſibi adoleſcentes emant. ſi modò ſint, qui eam ſibi comparare cupiant.* Loca prius animo capienda ſunt ſpatioſa. *Audis tu, quàm laborioſa ſit hæc ratio?*

tio? operosior fortaßè, quàm vtilior, quòd non solùm in rebus, & verbis ediscendis laborandum sit, verùm etiam in cognoscendis, atque conseruandis locis, & imaginibus, rerúmque notis.

Quid conferat hoc memoriæ artificium. Cap. LV.

VT ad quædam prodesse hæc non est negandum, vt si rerum nomina multa per ordinem audita reddenda sint, vel res diuersæ ordine complectendæ, sic in ediscendis orationis perpetuæ verbis nihil ferè prosunt. Singulorũ enim verborum imagines memoriæ mandare, & inutile esset, & infinitum. Si longior complectenda memoria oratio fuerit, proderit per partes ediscere. Non est autem inutile, quò facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoueat, & quasi excitet memoriã. Illud neminem non iuuabit, ijsdem, quibus scripserit chartis, ediscere. Si tamen quis vnã, maximamq; artem memoriæ quærat, exercitatio est, & labor. Multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidiè, potentissimum est. Quantum autem natura, studioq; valeatque memoria, vel Themistocles testis est, quem vnum intra annum optimè locutum Persicè constat, vel Mithridates, cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse: vel Crassus ille diues, qui cùm Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, vt qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi ius redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militũ tenuisse creditũ est nomina. Quin semel auditos quãlibet multos

tos versus, protinus reddidisse dicitur Theodectes. Explicatis memoriæ præceptis, restat, vt de pronunciatione dicamus.

IN CAP. LV.

Non est autem inutile aliquas apponere notas. *Vt, Lunæ, Solis, Nauis, Leonis, Martis, Mercurij, fontis, aut fluminis.*

De pronunciatione, & eius vtilitate. Cap. LVI.

PRonunciatio à plerisque actio dicitur, sed prius nomen à voce, sequens à gestu videtur accepisse: Hæc autem pars est, quæ in dicendo vna dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos sæpè superare. Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpè fructum tulerunt, & diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Vt iam non sine causa huic primas dedisse Demosthenes dicatur, cùm rogaretur, quid in dicendo esset primum: huic secundas: huic tertias. Est enim actio quasi corporis quædam eloquētia. Cùm sit autem in duas diuisa partes vocem, gestumque, quorum alter oculos, alter aures mouet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, prius de voce, deinde de gestu, qui voci etiam accommodatur, dicendum est.

IN CAP. LVI.

Sine hac summus orator. *Oratorem, qui ineptè pronunciaret, quamuis alijs in rebus multum excelleret, ab auditoribus explodi dicebat Aristot. Rhetor. 3. quod tamen vitio Rerumpub. fieri existimebat.*

De voce. CAP. LVII.

VOcis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maxime voce mouētur. Itaque perfectus orator vtcumque ſe affectũ videri, & animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit ſonũ. Aliud enim vocis genus iracundia poſtulat acutum, incitatum, crebro incidens. Aliud miſeratio ac mœror flexibile, plenum, interruptum, flebili voce. Aliud metus, demiſſum, & hæſitans & abiectum. Aliud vis, contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis. Aliud voluptas effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum. Aliud moleſtia ſine commiſeratione, graue quiddam & vno preſſu, ac ſono obductum: Ac vocis quidem bonitas optanda eſt, non eſt enim in nobis, ſed tractatio in nobis. Ergo bonus orator variabit, & mutabit, omnesque ſonorum, tum intendēs tum remittens, perſequetur gradus. Nec modo in diuerſis rebus, ſed etiam in ijſdem partibus, ijſdemque affectibus quaſdam non ita magnas vocis mutationes adhibebit. Nam varietas cum gratiã præbet, ac renouat aures, tũ dicentem ipſa laboris mutatione reficit.

In CAP. LVII.

Iracundia poſtulat acutum, incitatum) *Vt: Quouſq; tandem abutēre patientia noſtra Catilina* Aliud miſeratio) *Vt quò me miſerum conferam? quò vertam? in Capitolium ne?* Aliud metus) *Quid*

liberis respondebo meis, qui te parentem alterum pu- tant? Quid tibi Q. Fratri? Aliud vis contentum, vehemens *Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? & quæ sequuntur.* Aliud voluptas. *Vt Dij boni, boni quid porto: sed vbi inueniam Pamphilum?* Aliud molestia. *Nam mihi ante oculos dies, noctesque versatur squalor ve- ster, ac mæror.* Ac vocis quidem bonitas. *In qua consideranda tria hæc docet Aristoteles, magnitudi- nem, sonum ac numerum: alij scribunt claritatem, firmitatem, & suauitatem.* Omnesque sonorum *Qui tres dicuntur, acutus, grauis, & inflexus. qui me dius ab Aristotele.* Quaidã non ita magnas. *Nam interdum remittenda est vox ad vulgarem vsque lo- quendi consuetudinem, interdum temperata varie- tate distinguendo: interdum magnopere tonando.*

De gestu. Cap. LVIII.

VOcẽ subsequi debet gestus, & animo si- mul cum ea parere. Gestu sic vtendũ est, vt nihil in eo supersit. Stat⁹ erit erectus, & cel- sus, rarus incessus, nec ita lõgus, excursio mo- derata, eaq; rara, nulla mollicia ceruicũ, nul- læ argutiæ digitorum: non ad numerum ar- ticulus cadẽs: trũco magis toto se orator mo- derabitur, & virili laterum flexione: brachij proiectione in contentionibus, contractio- ne in remissis, pedis supplosione in conten- tionibus, aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso domina- tus est oculorũ. Animi enim est omnis actio, & imago animi vultus est, indices oculi: Hæc

est

est vna pars corporis,quę quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Nam oris non est nimium mutanda species,ne aut ad ineptias,aut ad prauitatem aliquam deferamur. Oculorum igitur tum intentione,tum remissione,tum coniectu,tum hilaritate motus animorum significabimus aptè cum genere ipso orationis. Est enim ipso quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet.

QVoniã in his tribus libris breuiter vt vires nostræ tulerũt,quid esset Rhetorica, quod eius officium,atq; finis,dictum est:& de singulis eius partibus,earumq́ue vi,& præceptis est disputatum,illud solum nunc superest,vt omnes ad eloquẽtiam,quæ nihil aliud est,quàm copiosè loquens sapientia,cohortemur. Ex qua illi profecto maximos & vberrimos fructus percipiẽt,qui eam ad Dei Opt. Max. cultum,ac venerationem diligẽtissimè contulerint. Cui enim potius eloquentiæ studia consecrentur,quã illi,qui vt hominis decus ingenium,sic ingenij lumen esse voluit eloquentiam? Hoc igitur agamus,hoc curemus,in hoc conatus,cogitationesq́ue nostrę sempar euigilent,vt tum eloquentiæ,tum cæterarum artium studia parenti vitæ nostræ deseruiant. Cui omnia honoris,omnia virtutis,omnia ingenij sine vlla exceptione ornamenta debentur.

In CAP. LVIII.

Nullæ argutiæ digitorum. *Vide Gellium lib. 1. cap. 5. vbi ait: Hortensium, alioqui summum oratorem, appellatum fuisse Dionysiam saltatricem; quòd eius manus inter agendum forent argutæ admodum, & gestuosæ.* Indices oculi. *De quibus, vt omnibus in rebus solet, eruditißimè disputat Aristoteles Physionomicorum tertio.* Quasi sermo corporis. *Hoc scribit Cicero in Oratore.*

Finis Libri tertij.

LAVS DEO OMNIPOTENTI, ET VIRGINI MARIAE BEATISSIMAE.





IN ORATIONEM M. T. CICERONIS PRO M. MARCELLO, COMMENTARIVS FREDERICI CERVTI VERONENSIS.

ARGVMENTVM.



T multi ex optimis ciuibus, & in suscipiendo bello contra Cęsarem, & in sequendo Pompeium aduersus illum incredibili quadam animorum consensione extiterint, hoc tamen victo, superatoque in Pharsalica pugna, qui superstites fuerunt, opinionibus adeo inter se discreparunt, vt diuersi diuersa sequi viderentur: alij si quidem statim de renouando bello cogitare cæperunt, & in Africam ad regis Iubæ exercitum, & P. Actij Varronis se contulerunt; alij suis viribus diffisi, neque belli pericula, aleamque amplius subire volentes, satius esse duxerunt, ad ipsius Cæsaris clementiam confugere, quàm de armis iterum cogitare. Marcus Marcellus, vir summa prudentia præditus, & qui magnos animos gerebat, neutrum consilium sequi voluit: quippe qui cum spe vincendi simul abiecit certandi etiam cupiditatem: animoque euoluens præterita, futura prospexit: Pompeianos scilicet, cum integri pares esse Cęsarianis non potuissent, multo minus fractos superiores fore. Hic itaque, quòd existimaret, imminui aliqua ex parte dignitatem suam, se Cæsari tam cito committere noluit; sed Mitylenas profectus est: ibique in litteris viuens, conscientia optimæ mentis, quia scilicet patriæ debitum officium præstitisset, se ipsum sustentauit. Interim M. Tullius, cui cū Marcello summa necessitudo intercedebat, de reditu (quod

Epist.Fami.libro quarto apparet)eum monere cœpit, multisque rationibus persuadere ei conabatur, vt existimaret,si aliqua respublica foret,in ea eum esse oportere iudicio omniũ,reque principem: Accidit autem, vt cùm quadam die à Lucio Pisone, Cæsaris socero, mentio facta esset de M.Marcello,& cum C.Marcellus Marci frater,se ad Cæsaris pedes abiecisset, senatus cũctus consurgeret,& ad Cæsarem supplex pro Marcello accederet. Tunc Cæsar longa satis oratione de M. Marcelli acerbitate conquestus est; qua accusata, pro sua tamen erga omnes clementia, dixit,se non esse senatui roganti,ne ipsius quidem Marcelli causa, à quo grauiter fuisset offensus negaturum.Hanc tantam clementiam tunc admirati sunt omnes, & pro tanto beneficio gratias(vno excepto Volcatio)egerunt.in primis vero Cicero luculenta hac oratione Cæsaris factum laudibus extulit immortalibus:in qua prius caussam ostendit,cur coram Cæsare post diuturnum silentium ad dicendum accesserit.Deinde gratias ei agit,vehementerque laudat eius humanitatem,& clementiã quam militaribus laudibus præfert.Postremo cum adhuc,ne quid contra se doli strueretur, Cæsar dubitaret, suspicionem hanc ab eius animo euellere conatur: atque, vt paucis dicam, ad Cæsaris singulis rationes respondet.

DE GENERE CAVSAE.

QVOD in hac oratione & Cæsari pro restituto in patriam M.Marcello gratiæ agantur, & eas suspiciones diluat Cicero, quæ Cæsarem angebant, ne quid scilicet contra se excogitaret Marcellus,aut etiam alij, iccirco viri non ignari artis Rhetoricæ existimarunt, mistum esse genus caussæ;& quatenus Cæsaris beneficium,in Marcellum collatum,& in Senatum, cui virũ optimum reddiderit,laudat,hanc esse totam Demonstratiui generis partem:quatenus autem suspiciones illas diluit,& refutat Cæsaris querelam,hanc ad iudiciale genus referendam esse,contendunt.A quorum opinione,vti nõ penitus dissentio,sic affirmare posse mihi vi-

hi videor,cum Cæſaris perſona laudetur , nec minus Cicero Marcellum commendet,quo beneficium magis augeatur;inſuper cum in refellenda Cæſaris ſuſpicione,paſſim laudes inferantur,totam orationem eſſe demonſtratiui generis.

DE CONSTITVTIONE CAVSAE. SEV STATV.

QVANQVAM verum eſt,Demonſtratiuum genus,quod totum in amplificatiõe poſitum eſt,ſtatum non habere(id autem Græci ſenſerunt)& hunc clarius apparere in iudiciali genere,tamen(quod docet Cicero in Topicis)in deliberationibus,&laudationibus exiſtunt ſtatus:quin & Ariſtoteles in omni re,de qua agitur,aduerſarium conſtituit:vt facile appareat, auſcultatores in genere Demonſtratiuo aduerſarios eſſe poſſe;ſin minus apertos, at ſaltem occultos. Quamobrem,cum hic ambigi poſſit,an laus clementiæ Cęſaris in reſtituendo M.Marcello maior ſit laude militari;ſanè Conſtitutio quantitatis,hoc eſt de rei magnitudine,eſſe poteſt: præterea cum Cæſar oratione ſua oſtendiſſet,ſuſpicari ſe,ne quid ciues,quibus ipſe iam peperciſſet,molirentur;in dubium reuocari poſſe videbatur,an ipſi ab illis aliquid timendum eſſet;&hinc Coniecturalis ſtatus apparet.Poſtremo, cum incertũ eſſet,an vere dici poſſet,ipſum ob tot pulcherrimas victorias ſolidam gloriam adeptum eſſe,an eum ipſam conſecuturum in conſtituenda, & componenda Republica,ſit,vt hęc dubitatio ad definitionis ſtatum vergat.Quamobrem,ex ijs præcipuis rationibus, quas oratione ſua enumerat Cicero,ſingulas ſibi ſtatum peculiarem conſtituere,facilè quiuis poteſt videre.

DE PRIMA ORATIONIS PARTE.

HVIVS exordij ſententia hæc eſſe poteſt.Diuturni ſilentij mei finem hodiernus dies attulit. Hanc rationibus ita fulcit. Occupat quod , ſibi obijci poterat,quare hactenus ſiluiſſet ; an quod male animatus

esset in Cęsarem, sibique displiceret, quòd imperio potius esset? Neutiquam. Sed partim dolore, partim verecundia; quòd eo amico esset orbatus, qui cum in eadem causa fuisset, in qua ipse fuerat, in eadem non esset fortuna. Sequitur alia ratio, qua artificiosè sibi Cęsaris beneuolentiam conciliat: ostendit enim, argumento ducto ex causis, & effectibus, non potuisse silentio præterire tantam Cæsaris sapientiam, mãsuetudinem, clementiam, & modestiam. Postremò, totũ concludit exordium; paulatimque accedit ad commemorandas M. Marcelli laudes: quæ non alio spectant, nisi vt inde altius Cæsaris factum extollatur; qui tam clementem se Marcello præbuerit. quare vides primam hanc orationis partem tripliciter distributam.

DE SECVNDA ORATIONIS PARTE.

VERSATVR tota in hac propositione: ex tot, tantisque Cæsaris laudibus quænam illustriores, dignioresque sint habendæ; an ea, quã sibi militaribus factis, totq; victorijs peperit; an ea, quã adeptus est, cum tanta mansuetudine, clementiaq; pepercerit Marcello, cæterisque victis qui Pompeianas partes fuerant secuti.

DE TERTIA ORATIONIS PARTE.

SEQVITVR confirmatio propositę quæstionis & quam ipse probare volebat: nempe, laudem, quam sibi Cæsar ob clementiam acquisiuit, longe maiorem esse ea, quam sibi comparauit bellicis factis.

DE QVARTA ORATIONIS PARTE.

IN quarta confutat ea de quibus suspicabatur Cæsar: hæc imminuit, & labefactat: probatque, cum minime

me timere debere, vitę suæque saluti: inde eum docet, non ex rebus bellicis solidam gloriam esse adeptum, sed hanc ipsi euenturam ex constitutione Reipublicę.

DE QVINTA ORATIONIS PARTE.

POSTREMA est cōclusio, in qua eo, vnde eius redit oratio orsa erat; nēpe ad agēdas gratias Cæsari, toti⁹ Senatus, Reipublicęq; nomine; & suo: atque ita orationē absoluit: in singulis autem huius orationis partibus, quo artificio sit vsus, suo loco explicabimus.

DE ELOCVTIONE.

CVM materia de qua hìc agitur, satis illustris sit eaque elocutione exornetur, quæ ad extollenda preclara Cęsaris facta adprimè decebat: in constructione etiam verborum concinnus numerus audiatur, magnifica forma, quam Demetrij phalerei sententia λόγιον χαρακτῆρα vocant, constare hanc orationem, iudicare possemus.

ORATIO.



IVTVRNI silentij P.C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit Idemque initium quæ vellé, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamqué clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene diuinam tacitus preterire nullo modo possum M. enim Marcello vobis P. C. Reiqué P. reddito, non solum illius, sed etiam meam vocem, & autoritatem & vobis, & Reip. conseruatam, ac restitutam, puto. Dolebam enim P.D. ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna. Nec mihi persuadere poteram, nec, fas esse, ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, & quasi quodam socio, & comite distracto. Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, D. Cæsar, interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni Reipubl. sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maximè in meipso, sed paulo ante in omnibus, cum M. Marcellum Senatui, populoque R. &

R. P.

R. P. conceſsiſti, commemoratis etiam præſertim offenſionibus, te autoritatem huius ordinis, dignitatemque Reipub. tuis vel doloribus, vel ſuſpitionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis ante actæ vitæ hodierno die maximum cæpit, cum ſummo conſenſu Senatus, tum præterea iudicio tuo grauiſsimo, & maximo. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria.

EXPLANATIO.

DIVTVRNI Silentij) *Cum exordia diligentiam, ſtudiumque aliquod poſtulent, quippe quòd & hæc vacuas ingrediantur aures, neque illud placere poſsit, quod ſtatim in ipſo quaſi veſtibulo offendit, opportunum eſſe iudicàui, aliquid afferre, quod artificium, membra, & numerum huius periodi illuſtret. Hæc itaque quatuor membris conſtat, quæ concinnam reddunt orationem: nam & caſus in exitu ſimiles ſunt, timore, dolore, verecundia; & contraria conferuntur, finem, & initium: membra vero ipſa ſyllabarum numero ferè paria ſunt Addo etiam, cum vltimum membrum cæteris longius ſit, magnificam, & venuſtam fieri periodum; quod docet Demetrius Phalereus de modo dicendi. Incipit autem ab Anapeſto, cui ſtatim addit Spondeum, vt etiam Philippica quinta. Nihil vnquam longius. Que omnia, accuratum hoc exordium eſſe, oſtendunt. Quod autem ad exordij præcepto attinet, hæc eadem non prætermittit:*

beneuolentiam enim & à Cæsaris persona, & à sua colligit: qui enim in alio virtutis vires agnoscit, sibique easdem placere fatetur, hominum proborum beneuolentia dignus est: Dociles reddit auditores, & attentos, cum tantas Cæsaris virtutes se silentio præterire non posse, affirmet. Placet autem admonere adolescentes, cum huiusmodi exempla nobis conficienda sunt, quæ gratiarum actionem continent, sumi posse materiam à lætitia, qua perfundimur ob beneficium acceptum; ab aliqua grata animi significatione: à beneficij magnitudine: à laudibus eius, qui nobis benefecit: aut ab aliqua alia re: quæ fauorem nobis conciliare possit. vt hic cerni potest. DIVTVRNI silentij) Huius silentij causam ipse aperire videtur Epistola quarta lib. quarti familiarum ad Sulpicium scribens. Ego rogatus, mutaui hoc meum consilium: nam statueram, nō mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere: Et sanè diu tacuit; ab eo nempe tempore, quo, venia à Cæsare impetrata, redierat in vrbem ad eum vsque diē, quo orationem hanc habuit. QVO Erā ijs temporibus vsus) Quibus Marcelli, hominis mihi amicißimi, consuetudine, totaque Republica carui. NON Timore aliquo) Quo percelli cōsueuerunt, qui in Republica minus liberè sententiam suam dicere audēt: atq; ita à culpa Cæsarem liberat. SED Partim dolore?) Quo? An quia tot clari viri in bello ciuili cecidissent: an quod vrbs sine legibus, sine iudicijs, sine iure, sine fide relicta esset direptioni, & incēdijs, vt ad Sulpicium scribit Epistola prima l. 4. An vero, quod nondum Marcellus ea fortuna vteretur, qua ipse Cicero? inferius causam exponit. PARTIM

Verecũdia) *Cum verecundia quædam sit ægritudo perturbatioque) quod docet Aristoteles Rhetoric. 2. in eis malis, quæ ignominiam, & dedecus ferre videntur, quæri posset, quid à Cicerone commissum esset cuius causa ipsum pudere deberet: quam rationem affert Paullus Manutius, quod scilicet Cicero, contra Cæsarem armis pugnasset, non illa quidem mihi displicet; cum tamen intelligeret Cicero, se non talem esse, qualis antea fuerat, cum floreret in Republica, fortasse ipsum pudebat, ibi viuere, vbi non esset ita viuendum: quo nomine sæpe in Epistolis conqueritur; vt verbum Verecundor, quasi displicere significare videatur.* TANTAM enim mansuetudinẽ) *Ratio superioris propositionis, ducta à causa efficiente; Cæsaris scilicet clementia. Hæc nimirum summo artificio est confecta: Primum enim non omittit id, quo Cæsaris beneuolentiam sibi conciliare posit; quod assequitur, cum se earum virtutum studiosum osten dat, quibus Cæsar insignitus erat: deinde, cum sciat, epithet a magnum afferre orationi splendorem, grauemque eamdem facere, ea non omittit: at quænam affert? quæ magnam afferunt delectationem: nempe ex inusitatis, atque inauditis rebus. Synonima audis: mansuetudinem, clementiam, modũ, mansuetudinem laudat; nam hæc potentæ adiungẽda est vt princeps à suis non tam metum extorqueat, quàm impetret reuerentiam: nominat clementiam; nam vt primo officiorum scribit: nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atq; clemẽtia.* IN summa potestate rerum modum) *Quod sanè admiratione dignissimum est; nam non minoris virtutis esse, parta victoria bene vti, quàm vincere,*

dicere solebat Nermocrates ad Syracusanos. Cicero quoq; de victoria loquens, ad quos peruenit, eos ferociores, impotentioresq; reddit. SAPIENTIAM) *Sapiens erat Cæsar, quòd cum intelligeret, Marcello, viro incredibili virtute prædito, Rempublicam diutius carere non posse, eum illi reddiderit.* NVLLO modo possum) *Audi, quàm bene claudat periodum. Spondeo, præcedēte Iambo, quæ clausula Ciceroni maximè familiaris est.* M. ENIM Marcello) *Locus ab Adiunctis Cæsaris clementia, amplificatus ab vtilitate consequuta. Marcello restituto, eius voce, nec non ipsius Ciceronis auctoritate.* NON solum illius) *Eloquentia siquidem sua, suaq; auctoritate Reipub. prodesse plurimum poterit.* DOLEBAM enim) *Apertius exponit doloris, & verecundiæ causas, ne quid contra se dictum suspicaretur Cæsar. hanc autem expositionem ad beneuolentiam conciliandam plurimum valituram, intelligebat Orator.* QVI in eadem causa fuisset) *Ambo enim Pompeianas partes fuerant secuti. Cicero de Pompeio loquens, & ad Marcellum scribens. Si is Rempub. teneret, quem secuti sumus.* NON in eadem esse fortuna) *Non illi itidem, vt mihi, concessum in patriam redire.* CVRRICVLO) *Metaphora: locum intelligit, vbi senatus habebatur, & in quo sententia dicebatur. Huius loci meminit Priscianus lib. 6.* ILLO æmulo, atque imitatore) *In dialogo, qui dicitur Brutus; cum interrogaretur Brutus à Cicerone, quid de Marcello sentiret, respondit. Quid censes, nisi quod habiturus es tui similem? Cicero quoq; ad Marcellum scribens, Epistola 7. lib. 15. summa*

ma lætitia afficior, cum omnibus dictis, factis, institutis vel me tui similem esse audio, vel te mei. ERGO Et mihi meæ pristinæ) *Conclusio, superiora colligens, personas scilicet, & effecta Cæsaris clementiæ.* SED paulò ante in omnibus) *Petrus Victorius, & Paulus Manutius, viri doctißimi, & in expurgandis librorum maculis acutißimi, consentiunt in hoc, vt propositio In tollatur: quorum interpretationem non faciam, vt commemorem, breuitati studẽs.* SENATVI, Populoq; Romano; & Reipub.) *Amplificatio à partibus ad totum, quo maius ostendat esse beneficium.* COMMEMORATIS offensionibus) *Videndum est, cur Cæsar offensiones commemorasset; & quas commemoraßet. commemorauit offensiones Marcelli, quo maius suum beneficium faceret, collatum in Marcellum, à quo grauiter offensus. Offensionum meminit Suetonius ijs verbis. M. Marcellus consul edicto præfatus de summa se Reipub. acturum, retulit ad Senatum, vt Cæsari succederetur ante tempus: & ne absentis ratio haberetur; nec prouincias ei, & priuilegium eripere contentus, retulit etiam, vt colonis, quos rogatione Vatinia Nouum Comum deduxisset, ciuitas adimeretur: quod per ambitionem, & vltra præscriptũ data esset. Plutarchus quoq; in Cæsaris vita.* DOLORIBVS, vel suspicionibus) *Dolor ob offensiones ad vindictam de Marcello sumendam, suspicio doli alicuius, ne illi parceret, Cæsari suadere poterat.* CVM summo senatus consensu) *Præter ea, quæ Cicero de Senatu supplici scribit Epist. quarta lib. 4. ad Suppliciũ, illa etiam, quæ Seneca in consolatione ad Albinam* scri-

scribit, quanti Marcellum fecerit Senatus, indicant Illi reditum impetrauit Senatus publicis precibus, tā sollicitus, ac mæstus, vt omnes isto die Bruti habere animum viderentur; & pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exules essent, si sine illo fuissent. ILLE Quidē fructum) *Mirificé extollit beneficium collatum, cum fructum, gloriamque incredibilem, quam ex eo capit Marcellus, additis maximis circunstātijs illustret. Est autem iucundum accipere beneficium, quòd consequimur optata, vt etiam alijs benefacere mirificè delectat: nam ita cognoscimus, nō solum habere, quantum nobis opus est, sed etiam superesse, quod alijs demus; quæ duo summopere ab omnibus expetuntur.* IVDICIO Tuo grauissimū) *Idem dicit, quod superius; incredibilem sapientiam, ac pæne diuinā* QVANTA In dato beneficio) *Locus à Relatis; qui tamen videri potest amplificatus à minori ad maius. Si in accepto beneficio magna laus est multo maior in dato.*

ORATIO.

EST vere fortunatus ille, cuius ex salute non minor pœne ad omnes, quàm ad illum ventura sit, læticia peruenerit. Quod quidem et merito, atque optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior? Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, tuas res gestas posſit. Tamen hoc affirmo, & hoc

hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudē ampliorem, quàm eam, quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris vsurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarū gentium, potentissimorumq; populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero prçliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquā passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicā cursibus, sed victorijs lustratæ sunt Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis; easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuuant, Maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id pœne omne ducit suum. At vero huius gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcunque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa, rerum huma-

narum domina, fortuna in istius se societate gloriæ non offert: tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tãta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangiq; possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem nõ modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, qui faciat, nõ ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo, iudico Itaq; C. Cæsar, bellicę tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solũ nostris, sed pœnè omnium gentium literis, atq; linguis, neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res nescio quomodo etiam dum audiuntur, aut dum legũtur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, nõ modo in gestis rebus, sed etiã in fictis, vt eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quẽ

præ-

præsentem intuemur, cuius mentem sensusq; & os cernimus, vt quicquid belli fortuna reliquum Reipub. fecerit, id esse saluũ velis, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur?

EXPLANATIO.

EST vere fortunatus ille) *Volunt nonnulli hanc esse simplicem periodum, quod scilicet circuitu satis longo vnam duntaxat sententiam complectatur.* CVIVS ex salute) *Excellens & in dicendo summus artifex Cicero, quod ita esse, hinc perspici potest, nam quasi aliud agens, Cæsaris beneficium egregiè extollit beneficium si quidem, quo plures iuuat, eò maius, & laudibilius: at hoc Reipublicæ cunctæ profuturum est, ne dum vni Marcello, ergo maximum est. Laudatur etiam eodem tempore Marcellus, vt ex cuius salute penè omnes gaudium percepturi sint.* QVIS enim illo aut nobilitate) *Transitio ad Marcelli laudes, quæ eò spectãt, vt altius deinde Cæsaris factum extollatur: vide autem, quomodo has amplificet: nam multa, & varia de Marcello congerit, & quasi superstruit, vt totum, quod ex eis fit, maius appareat. quo genere amplificandi vsum esse Epicarmum, docet Aristoteles Rhetoricæ primo: exornantur, hyperbole, repetitione, interrogatione.* AVT nobilitate) *Parta à maioribus suis, qui maximos honores gesserant in Republica: ex quibus nonnulli extiterunt consules, proconsules, censores, & qui triumphum egerunt:* AVT probitate) *Miror Sebastianum Corradum, virum alioqui do-*

doctum, scripsisse suo commentario in Brutum, hunc Marcellum esse, qui socius Catilinæ *fuit, vt prima* Ciceronis *oratione in illum apparet. nam qui vir optimus esse potuisset, si* Catilinæ *sodalis? Nō cognouit* Corradus, *eo in loco ironiam esse: quanquā ita esse legere potuerat apud Quintilianū li. 9. Alius fuit sanè* Marcellus, *quàm de quo hic sermo habetur; quem tamen eadem* Oratione *paulo post (hunc ipsum intelligens) virum fortißimum appellat* AVT optimarum artium) *Fuit enim iuris consultus celeberrimus, & inter* Oratores *fama non obscura: de quo sic in* Bruto. *At qui, & ita est (loquitur* Brutus *de* Marcello,) *& vehementer placet: nec vero sine causa: nam & didicit; & omißis cæteris studijs id vnum agit, se seque quotidianis commentationibus acerrimè exercuit: itaque & verbis vtitur lectis, & frequentibus, & splendore vocis, dignitateque motus fit speciosum & illustre, quod dicitur: omniaque sic suppetunt, vt ei nullam deesse virtutem oratoris putem. & quæ sequuntur.* AVT innocētia) *Quæ quidem probis viris optimum esse debet corporis præsidium.* NVLLIVS est tantū flumen) *Amplificationem in toto orationis cursu adhibendam esse, docet* Cicero *in* Partitionibus: *& si enim proprius locus est in* Peroratione, *tamen etiam commode in exordio ponitur, vt hic, & post reditum in* Senatu. *vbi fere hoc eodē verborum genere vtitur. In hac autem* Cæsaris *laudum commemoratione, quàm suauis sit oratio figuris* Isocolo, *verbis sonantibus, non aspero concursu prolatis, rebus maximis, obseruatione dignum est.* SOLEO sæpe ante oculos) *Dignitatem alicuius augeri, amplificarique posse, si cum ijs comparetur, qui cum*

cum laude vixerunt, docet Aristoteles Rhetoricorum 1. quod hic à Cicerone obseruari vides. Est ergo primum argumentum ductum ex comparatione rerum bellicarum virorum illustrium. NEC contentionum magnitudine) *Videtur hic commemorare Cicero ea omnia, quæ imperatori in bello negotium facescere possunt.* NEC numero præliorum) *Quoties cum hoste dimicauit Cæsar, illiusque egregie facta describit Plinius libro.7.cap.25. Habent autem hæc Ciceronis magnam similitudinem cum illis, quæ apud Plutarchum in vita Cæsaris leguntur. Neque vero quisquam est, summorum, & maxime apud omnes in admiratione habitorũ ducum, cui non parem imperatoris, & militaribus laudibus in eum tempus demonstrauerit. nam siue Fabios, Scipiones, Metellos, siue qui æquales eius, aut ætate paulo superiores fuerunt, Syllam, Marium, vtrumque Lucullum, ipsumque adeo, cuius ad cœlum vsque omnigenarum bellicarum virtutum gloria se efferebat, Pompeium conferas, rebus eorum gestis facta Cæsaris palmam præripiunt.* NEC varietate regionũ) *Quarum rerum testimonio esse poterunt omnes fere orbis regiones, in quibus de hostibus victoriam reportauit.* NEC celeritate conficiendi) *Refert Plutarchus in Apopht. Romanorum Iulium Cæsarem dixisse, ea facinora, quæ periculo obnoxia sunt, & magna, esse gerenda, at de ijs non consultandum; eò quod ad hæc perficienda plurimum habet momenti celeritas.* SED victorijs.) *Rem maximam paruis opposuit, vt & in audito iucundam suam redderet orationem, & altius efferret Cæsaris gesta.* QVAE quidem ego nisi ita esse magna)

Cum rebus magnis maiores etiam reperiri possint, & quod docet Aristoteles Rhet. primo quæ maiora sunt eis, quæ omnes magna esse confitentur, laudabiliora etiam sint, videndum est, quo artificio vtatur Cicero, vt tandem concludat laudes clementiæ, maiores esse, quam bellicas laudes. oritur autem hic status quantitatis. NAM Bellicas laudes) *Meminit huius loci Petrus Victorius, variarum lect. cap. 22. lib. 28. vbi scribit, quis fuerit, qui extenuarit laudem ducum, communicaueritque cum omnibus, qui fortiter pugnassent. Obseruandum autem est Ciceronis artificium, qui laudes illas, superius valde celebratas, paullatim imminuat, & eas ducibus communes cum militibus faciat, nec omnino ab ipso duce pendere, probet, sed à multis rebus extrinsecus peti: id vero prudentissime facit, quò (vt iam diximus) maiores tandem reddat Cæsaris clementiæ laudes: vt quæ non aliunde, sed ab ipso vno deriuetur.* MILITVM Virtus) *Quæsita est multis in rebus, militari disciplina, abstinentia, obedientia, gloriæ cupiditate, salutis præsidio, quæ omnia cum simul concurrant, fortiter, strenueque pugnatur.* LOCORVM Opportunitate) *Hæc quantum prosit facile ex historiographis multis, potissimum vero ex Commentariis ipsius Cæsaris patet. nam præcipue hanc eum spectasse in castris ponendis, in distribuendis aciebus, passim videre est. extat illud Moschionis ex Themistocle. In saltibus paruo ferro magnus amputatur piceæ ramus. Exiguæ copiæ infinitum sæpe exercitum superant. In hac quidem bellorum rationem positam, veteres crediderunt. iccirco Homerus* ἐνυάλλον *Martem vocat. Videtur autem hoc loco com-* me-

memorare causas, quæ ad victoriam consequendam adiuuant. FORTVNA Sibi vendicat) *Pindarus in Nem.* πότμος δέ κρίνει συγγενὴς ἔργων πέρι πάντων. *Fortuna locum arbitri retinet cognata de operibus omnibus. vendicat autem maximam partem fortuna quasi suo iure; propterea quod sit fini propinquior: vt enim docet Aristoteles Rhetoric. 1. Duobus propositis id, quod fini propinquius est, etiam maius.* AT vero huius gloriæ) ἀνταπόδοσις, *illustrata repetitione, & amplificatione: repetione nihil nihil: amplificatione: quin etiam ipsa fortuna: est autem vsus in hac argumentatione enthymemate. In bellis plerique euentus in potestate fortunæ sunt: hæc itaque domestica virtus, quæ duntaxat sapientia consilio regitur, præstantior est. Sic solent amplificare optimi oratores, cum ea afferunt, quæ propria sunt, vt singularia, non autem communia.* NVNQVAM enim temeritas) *Aiunt, Minutio, cum Fabium, tanquam cunctantem, in Senatu insimulasset, quòd præ timore pugnam detrectasset, paritusque esset cũ Fabio copias, eoque inuito prælium cũ Annibale iniisse, respõdisse Fabiũ, ita est: nã celerius, quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem.* DOMVISTI gentes) *Laudationem omnem ab operibus pendere, in confesso est. nam vt ait Horatius.*

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Actiones etiam, & opera signa esse habitus animi, docet Aristoteles, Rhetoricorum primo. Ergo locus est ab effectis, quorum subiecta sunt Victoria, & Clemen

tia; illa circa gentes, hæc circa iram. Hyperbole aut orationẽ illustrem reddit. Docet hoc Cicero in Partitionibus. E A tamen vicisti) *Aristoteles Rhetor. 2. Et quod finem habere potest, id etiam principium habebit, nam à principio cuncta proueniunt: ab hoc loco itaq; argumentatur Cicero, cum dicat, bella, à Cæsare gesta, tale principium habuisse, vt cõfici possent.* ANIMVM vincere) *Hæc est illa cæterarum victoriarum pulcherrima: nempe se ipsum vincere, cuius meminit Plato. primo de legibus.* τὸ νικᾶν αὐτὸν πάσων νικῶν πρωτετικαὶ ἀρίστη: τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ ἁπάντων αἴσχιστόν τε ἅμα κάκιστον. *Vincere se ipsum, victoriarum omnium, optimum est. Turpissimum vero, & pessimum, si quis à se ipso vincatur. Est autem alterum argumentum à rei difficultate.* IRACVNDIAM cohibere) *Chilon vt est apud Laertium, docebat, vincẽdam iram, quod is affectus sit cæteris potẽtior, quàm superare fortius est, quàm hostem armatum deijcere: nec minus exitij fit ab ira, quàm ab hoste. hoc commemorare volui, quod viderem Ciceronis verba quasi ex hoc penu deprompta esse.* VICTORIAM temperare) *Bis vincit qui se vincit in victoria, & qui moderãter vtitur victoria, vincit primum hostem, deinde animum.* ADVERSARIVM nobilitate) *Ex circumstantijs amplificatio laudabile est, iacentem erigere, laudabilius aduersarium: at quem? nobilitate, ingenio, virtute præstãtem: longe vero laudabilius eius dignitatem amplificare, in quo summa Cæsaris auctoritas liberalitasq; cognoscitur.* ITAQVE C. Cæsare) *Conclusio, egregiè ornata comparatione: concludit, quæ laudabiliora sunt, ea etiam maiora esse bona. Aristoteles*

les Rhet. primo. SED tamen ciuſmodi res.) *Extenuat dictum ſuperius, ducto argumento à circumſtantijs.* AT VERO) *Antapodoſis, illuſtrata itidem circumſtantijs, victoria iracundia, quæ rationi, & æquitati valde aduerſantur. notum illud Publij. Iratus etiam facinus conſilium putat: de Victoria ſuperius.* TE VERO, quem præſentem) *A maiori, & ab effectis. exornatur autem verborum mutatio, idē ſignificantium, id eſt cognominatis.*

ORATIO.

Parietes mediusfidius C. Cæſar, vt mihi videtur, huius curiæ tibi gratias agere geſtiunt; quòd breui tempore illa futura ſit auctoritas in his maiorum ſuorum & ſuis ſedibus. Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate ac virtute præditi, lachrymas modo vobiſcum viderem omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit; quibus tu etiam mortis M. Marcello conſeruato dignitatē ſuam reddidiſti, nobiliſsimamque familiam, iam ad paucos redactam pœnè ab interitu vendicaſti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. hæc enim res vnius eſt propria Cæſaris, cæteræ duce te geſtæ, magnæ illæ quidē, ſed tamen multo, magnoque comitatu: huius autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta eſt, vt tropheis. monumentiſque tuis non nulla vnquam ſit finem allatura ætas. Nihil enim eſt opere, aut manu factum, quod ali-

quando non conficiat,& consumat vetustas: At vero hæc tua iustitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis: ita vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam ante æquitate, & misericordia viceras, hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ne vt hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu posſit, atq; ego ipſe cogitans sentio. Ipsam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidiſſemus, clemētiæ tuæ iudicio conseruati sumus. Recte igitur vnus inuictus es; à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visq; deuicta est.

EXPLANATIO.

PARIETES mediusfidius) *Boni, (vt ait Theognis) summo beneficio affecti eo feruntur in præsens, in posterum autem & recordantur. & gratos sese præstant: id ita esse, Cicero conatur ostendere Cæsari: & amplificatione hyperbolica communem lætitiam commemorat: dat etiam sensum, & affectum rebus inanimitatis.* FVTVRA sit illa auctoritas) *Quæ amiſſa videri poterat bellorum ciuilium causa: ad hanc autem restituendam videtur tacitè commonefacere Cæsarem.* C. MARCELLI lachrymas) *Huius viri pietatis in fratrem meminit Epistola quarta libr. quarti Famil. & nos in argumento.* PECTVS effodit) *Metaphora: ad affectum suum declarandum aptiſſima: hoc enim vult* in-

inferre: memoriam, & subitam recordationem Marcellorum, viam sibi patefecisse in animum Ciceronis. QVIBVS tu etiam mortuis) *Quam oratoriè beneficium amplificat, vt id etiam mortuis prodesse velit? hoc annotare volui, vt sciant adolescentes, amplificationes in hoc genere nusquam non dominari, in omnibusq́; orationis partibus adhiberi posse, simul etiam, vt rationem amplificandi discant.* HVNC igitur tu diem) *Epilogus, exornatus breui repetitione superiorum laudum; & comparatione rerum bellicarum, & Clementiæ, cui laudis palmam tribuit.* GRATVLATIONIBVS) *Ob rem bene gestam, & ob quam supplicationes Cæsari decretæ fuerant, vt ex eius Commentarijs apparet. His rebus gestis, ex literis Cæsaris dierum 20. supplicatio decreta est. lib. quarto.* HAEC enim res vnius) *Vides hic repetitionem. Annota autem vocem illam, propria, cuius significationem largius sumere consueuerunt Oratores, quàm Dialectici: Intelligunt enim aliquid proprium alicuius personæ, quòd illud aut rectius faciat, quàm alius, aut, quòd illud magis eũ, quàm alium deceat, tale illud ad Plãcum Epistola 5. Familiar. libro decimo: his temporibus difficillimis Reipubli. quicquid subueneris, id erit totum, & proprium tuum.* NON nulla vnquã allatura) *Locum hunc ita correxit Petrus Victorius, addita negatione: cum antea in impressis legeretur, nulla vnquam. Lectionem hanc deinde Paulus Manutius confirmauit impressione sua.* NON conficiat vetustas.

Tabida consumit ferrum, lapidemq́ vetustas,
Nullaq́ res maius tempore robur habet.

Ouidius quarto de Pōto. BELLORVM Ciuium) *Bellum ciuile Marianum intelligit, ni fallor.* VEREOR, vt hoc dicam.) *Nec hoc fortasse obseruatione indignum erit; cum aliquid dicturi sumus. debere nos prius auditorum animos aliquo verborum genere præparare: sic enim maiorem orationi nostra attentionem conciliamus, vt hic facilè cuiuis intuenti apparebit.* IPSAM Victoriam vixisse videris) *Locus qui sequitur, totus videtur sumptus à coniugatis. quare autem videatur Cæsar victoriam vicisse, in oratione pro Q. Ligario videtur docere Cicero his verbis. Dicam planè C. Cæsar, quod sentio: si in hac tāta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. quàm multi enim essent de victoribus, qui te crudelē esse vellent, cum etiam de victis reperiantur?* QVAE illa erat adepta) *Multa sane in victoris potestatem venerant, quibus tamen diutius carere victus, nō passus est Cæsar.*

ORATIO.

Atque hoc C. Cæsaris iudicium P. C. quā late pateat. attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reipub. misero, funestoque compulsi, & si aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis Reipub. conseruauit, memet mihi, & item Reipubl. nullo deprecante, reliquos amplissimos viros & sibijpsis, & patriæ red-

reddidit, quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipſo in conſenſu videtis. Non ille hoſtes induxit in Curiam, ſed iudicauit, à pleriſque ignoratione potius, & falſo, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum eſſe ſuſceptum. Quo quidẽ in bello ſemper de pace agendum, audiendumque eſſe putaui; ſemperque dolui, non modo pacem, ſed orationem etiam ciuium, pacem efflagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec vlla vnquam ſecutus ſum arma ciuilium, ſemperque mea conſilia pacis,& togæ ſocia, non belli, atque armorum fuerunt, hominem ſum ſecutus priuato officio non publico. Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modo cupiditate, ſed ne ſpe quidem prudens & ſciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum conſilium minimè obſcurum fuit. Nam in hoc ordine integra re multa de pace dixi, & in ipſo bello eadem etiam cum capitis mei periculo ſenſi. Ex quo nemo erit tam iniuſtus rerum æſtimator, qui dubitet, quæ Cæſaris voluntas de bello fuerit, cum pacis authores conſeruandos ſtatim cenſuerit, cæteris fuerit iratior.
Atque id minus mirum videretur fortaſſe tum, cum eſſet incertus exitus,& anceps, fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, maluiſſe ſe non dimicare, quàm vincere. Atque huius quidem rei M. Marcello ſum teſtis, noſtri enim

sensus, vt in pace semper, sic tum etiam in bello, congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? quo gratior tua liberalitas. C. Cæsar nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim iam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. Quos amisimus ciues, eos vis Martis perculit, non ira victoriæ: vt dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset. C. Cæsar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conseruat, quos potest. Alterius vero partis nihil amplius dicam, quàm id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdũ etiam ociosis minabantur. Nec quid quisq; sensisset, sed vbi fuisset, cogitandũ esse, dicebant. Vt mihi quidem videantur dij immortales, etiã si pœnas à Po. Ro. ob aliquod delictum expetiuerint, qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse.

EXPLANATIO.

ATQVE hoc Cæsaris iudicium) *Sequitur altera amplificatio, tota posita in extollendo Cæsaris studio pacis, & moderatione in Victoria: vt qui tam*

tam prompto animo ijs pepercerit, à quibus læsus fuerat. sumitur hæc à rebus magnis vsu: Soarius libri primi cap. 40. affert autem ad hoc ostendendum quatuor vtilitates consecutas: & initio statim attentionem sibi conciliat. TENEMVR erroris humani) *Errore hominum, aut timore, dixit in Bruto: errauerunt autem plerique in hoc, quod Pompeium Reipublicæ defensorem, & clementem, Cæsarem autem crudelem, & oppugnatorem illius fore putabant: illustratur argumentum à causa efficiente fatali.* A scelere certe liberati) *Quòd fuisse probare conabatur Q. Tubero contra Ligarium: quia fuisset in Africa itaque Cicero in eadem oratione dixit. Quomodò autem tu de Republ. bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses?* NAM cum M. Marcellum) *Prima vtilitas, quod Marcellos se Ciceronem, veteresque alios senatores, ciuesque in patriam reuocauit, spretis peregrinis, barbarisque nationibus.* DEPRECANTIBVS vobis) *Senatorum desiderium & eorum beneuolentiam erga Marcellum hoc verbo declarauit.* NVLLO deprecante) *De ipso Cicerone hoc intelligendum est. quanquam Epistola septima libri quarti scribit ad Marcellum. Nos cura, & dolore proximi sumus, precibus tardiores; quòd ius adeundi, cum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. Oratorie potius, quàm verè hoc dictum vult Manutius. quod sane ita est. Habuisse enim Ciceronem perfamiliares Cæsaris, qui pro se deprecari potuissent, ex Epistola Familia. videre est.* A PLERISQVE ignoratione potius) *Altera vtilitas; nã cum quæ odio, & maleuo len-*

lentia fiunt, dedecus afferre videantur, eos excusatos voluit Cicero, qui in Cæsarē peccassent. Sic in Ligariana. Scelus tu istud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit: alij errorē, alij timorē appellant, qui durius, spem, cupiditatē, odium, pertinaciā, qui grauissime, temeritatem: scelus, præter te, adhuc nemo. FALSO atque inani metu) Cæcum quendam timorem vocauit in oratione pro Q. Ligario: timebant si quidem Cæsarem; sed cur timendus esset, non videbant. QVAM cupiditate) Qua perfacile homines impelluntur ad arma: vnde illud Iphicratis: qui censebat, militem & diuitiarum & voluptatum auidum esse, oportere. Dicens, illum audacius pericula subiturum, quò suis cupiditatibus obtemperare posset. SEMPER dolui) Et grauiter conquestus est, quod in eius Epistolis videre est. Obseruа autem, vt pluribus commoretur in hac narratione, scilicet vt studium suum pacis indicet auditoribus ex adiuncto dolore, & ex ijs, quæ gesserit pacis causa. HOMINEM suum secutus) Pompeium dicit: cuius nomen, quod fortasse odiosum esset ipsi Cæsari, subticuit. Scribit Plutarchus, cum post Cæsaris victoriam interrogaretur, cur in electione partium errasset, Ciceronem respondisse, Præcinctura me fefellit: sentiens, se non sperasse, victoriam à molli, & effœminato staturam. Cæsar enim ita toga præcingebatur, vt lacinam trahens mollium in morem incederet. Vnde Sylla Pompeium admonere solebat, caueret sibi à puero, male præcincto: aut igitur Cicero reuera iudicio lapsus est, in sequendo Pompeij partes, aut, quod de suadenda pace sæpius dixit, ficte, nō sincereque dixit. SECVTVS priuato officio) Debebat

bebat Pompeio plurimum Cicero. Ex quo lib. Fami. 2. Epistola 10. scripsit ad Ap. Pulchrum. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem vnum ex omnibus facio, vt debeo, plurimi, quanti Brutum facerem. Nvlla non modo cupiditate) At Pompeiani bellum valde cupiebant: quod significat illis verbis ad Varronem. Vidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere, bellum, hunc autem non tam cupere, quàm non timere. Prvdens & sciens) Iisdem verbis vsus est Epistola ad Cecinnam. Sic ego prudens, & sciens ad pestem, ante oculos positam, sum profectus. Integrare) Cum notandum ad arma ventum esset. In ipso bello) In quo cum multa imprudenter, & prauè fierent, Cicero, libere de ijs loquens, eorum animos offendebat, qui sibi proposuerant omnia diripienda. Qvae Cæsaris voluntas de bello) Altera vtilitas, quæ ex clementia consecuta est: hac autem Cæsaris voluntatem ostendit. Conseruat pacis auctores, ergo maluit pacem, quàm bellum. Plutarchus quidem in ipsius vita scribit, Cæsarem postulasse, vt tam Pompeius, quàm ipse ab armis discederet, & priuati à ciuibus aliquid muneris peterent. Caeteris fuerit iratior) Nam belli auctores, prauitate animi adducti, bellum susceperunt: conseruati vero à Cæsare ob pacis suasionem humano errore peccarunt: non ergo eadem conditione esse debent. Atqve id minus mirũ) Confirmat, quod de Cæsaris voluntate dixerat, ex temporum comparatione: nam cum belli periculum immineret, & anceps esset prælij euentus, facilè Cæsar pacis auctoribus parcere potuisset: at hunc victoriam adeptũ eosdem

dem iuuare, id summæ, & incredibilis clementiæ est, & eius voluntatem de pace aperte indicat. ATQVE huius quidem rei) *Expositio de pacis auctoribus, cuius Marcellum etiam fuisse suo probat testimonio, simili maiori Sensus Marcelli, & mei, vt in pace, sic in bello congruerunt. mei fuerunt de pace, ergo & Marcelli. insolentiam quoq; hominum certorum, & victoriæ ferocitatem, grauius ferre quàm ego visus est sæpe. quod igitur studiosi fuimus pacis, diligimur à Cæsare: cum autem diligamur, apparet, illum pacem, quàm bellum maluisse.* CERTORVM hominum) *Quos inter Scipio in primis fuit, Pompei socer.* IPSIVS victoriæ ferocitatem) *Notum illud Ciceronis, qui quòd Pompeius genus Syllani regni iampridem appeteret, eum Syllaturire, dicebat.* NON enim iam causæ) *Altera Amplificatio ex moderatione victoriæ. Tua causa de bello suscepto, an Pompeij potior fuerit, non est nunc disserendum, de ipsa victoria, in qua te clementem præbes, dicendum est, & excutiendum, an talis extitisset Pompeius. in Oratione tamen pro Q. Ligario probat, à Deorum iudicio, causam Cæsaris fuisse meliorem, quam Pompeij: sic enim ait: Causa tamen dubia, quod erat aliquid in vtraque parte, quod probari posset, nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam Dij adiuuerunt.* VIDEMVS tuam victoriã) *Locus ab effectis, dissimilitudine constat, amplificatur Cæsaris voluntate, qui si posset, vel interfectos in bello vellet seruare, additurq; ratio.* ALTERIVS vero partis) *Collationis pars secunda, contrarijs illustrata in qua Pompeianorũ facta ponit, eademq; exponit per maiora, diuersa & causa diuina efficien-*

te. SED etiam otiosis) *Eos intelligit, qui quòd in Italia remanserant, neq; Pompeium: neq; Cæsarem secuti, hostium numero à Pompeianis habebantur.* NEC quid quisq; sensisset) *Quanta esset Pompeianorum animorũ peruersitas, hinc apparet; quibus libido, non ratio dominaretur: hoc ad exaggerandũ valet.* VT mihi quidem videantur) *Quàm belle hoc excogitatum ad extollendam Cæsaris clementiam, & illius beneuolentiam conciliandam?* VEL etiam satiati) *De bellis ciuilibus loquens Horatius, eodem quoque verbo vsus est. Ode 2. libri primi Carminum. Heu nimis longo satiate ludo.*

ORATIO.

QVARE gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis. Ex quo quidem maximus est fructus iucunditasq; sapienti, Cætera cum tua recordabere; & si persæpe virtuti, tamen plerunque felicitati tuæ gratulabere. De nobis, quos in Repub. tecum simul saluos esse voluisti, quoties cogitabis; toties de maximis tuis beneficijs, toties de incredibili liberalitate toties de singulari sapientia tua cogitabis. Quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo, vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas, vt hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim, aut prauitate aliqua lapsis, sed opinione officij, stulta fortasse, certe non

improba, & specie quadam Reipubl. Non enim tua vlla culpa est, si te aliqui timuerunt; contráque summa laus, quod plerique minimè timendum fuisse senserunt. Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam; quæ non tibi ipsi magis, quàm cum omnibus ciuibus, tam maximè nobis, qui à te conseruati sumus, prouidenda est: quàm & si spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio nostra est: vt si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens, qui scilicet tibi insidiaretur? de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu salûtem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui vna tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in vllo furor, vt quo duce summa omnia sit adeptus, huius vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est nequid inimici. Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua petinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerût, vt aut nulli supersint de inimicis; aut qui superfuerunt, amicissimi sint. Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sanè suspicionem tuam, simul enim augebimus diligentiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Republ. tam nihil vnquam nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? & ex vnius rei vita vita pen-

pendere omnium? Equidem dies, noctesque de te, vt debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco: doleoque, cum Respub. immortalis esse debeat, eam in vnius mortalis anima consistere. Si vero ad humanos casus, Incertosque euentus valetudinis sceleris etiam accedat, insidiarũque consensio, quem deum, etiam si cupiat; opitulari posse Reipub. credamus?

EXPLANATIO.

QVARE gaude isto tuo) *Peroratio Constitutionis illius, quæ fuerat de laudibus rerum bellicarum, & clementia Cæsaris: in qua gratulatur ipsi tãtam virtutem, & fortunæ fauorem; hortatur, vt per stet in incepto; & consulat ijs, qui absunt, eosque cõseruet.* TAM excellenti bono) *Tanta mansuetudine, tam inusitata, inauditaque clementia. laus à bonis animi.* NATVRA & moribus tuis) *Ad lenitatem, non autem ad crudelitatem propensis.* IVCVNDITAS Sapienti) *Sapiens non aliũde, quàm à se ipso pendet: itaque.*

Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

FELICITATI tuæ) *Hæc vna ex illis quatuor rebus est, quas in Maniliana censebat, in summo imperatore inesse oportere: nempe; Scientiam rei militari, virtutem, auctoritatem, felicitatem. à qua mirificè laudat Pompeium in illa Oratione.* TOTIES de Maximis) *Epanaphora, ad suauitatem orationis concinnandam aptissima: addita quoque ad nomen Illustrẽ*

eandem reddunt. DE incredibili liberalitate, de singulari sapientia) *Iisdem verbis vtitur in Ligariana: quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur: & prudenter has voces coniungit, ne parum considerate vsus videretur Cæsar liberalitate.* A VIRTVTE donata) *Ergo tua propria, cum habitus hic animi tui sit: obseruandum autem est. postremum huius periodi membrum ad superiora referri, quod venustatis plurimum habere videtur.* A Fortuna commodata) *Vere hoc: Seneca in Agamemnone.*

——quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.

NON priuate, aut cupiditate) *Breuis repetitio superiorum,* MINIME Timendum fuisse senserunt) *Non quidem ante bellum susceptum, id enim fuisset Cæsarem contemnere: sed conseruati à te, cum tanto beneficio fruantur, sentiunt, demum nihil timendum fuisse à tua victoria.* NVNC vero venio) *Sequitur secunda quæstio, coniecturalis nempe: an timendum sit Cæsari ab illorum insidijs, quibus tam clementer pepercit: quibus autem argumentis vtatur in hac confutatione, suo loco ostendemus.* AD grauissimam querelam) *Grauissime siquidem de multis, potissimum vero de M. Marcello fuerat conquestus.* ATROCISSIMAM Suspicionem) *Suspicabatur quoque, neque, ne quid atrociter in ipsum à conseruatis committeretur.* NON tibi ipsi magis, &c.) *Considerandũ est Oratori apud quẽ dicat. nam status Reip. rationem habere debet. Cum igitur Tyrannus securitatem propositam sibi habeat. huic personæ Cicero suã accõmodat orationẽ,*

vt

vt eum à suspicione liberet. Ergo tibi prouidendum, de cuius salute agitur: nobis ciuibus; quia tua cautio nostra est cautio. Admirabilis sanè Cicero hac in parte, qui vt ingenio Cæsaris se accommodet, timoris illius particeps esse vult: sic enim facilius eius oratio admittitur, & apud Cæsarem plurimũ fidei acquirit MALIM videri nimis timidus) *Timori coniuncta persæpe videtur prudentia, qui fortitudinẽ corroborat: vnde Homerus Iliados 12. Viri fortis color non immutatur, neque supra modum formidat.*
QVAM parum prudens) *Cuiusmodi solet esse, qui nimium suis viribus tribuit, & audax est: nam hunc (vt ait Q. Calaber) audacia protrahit ad pugnam.*
SED quisnã est iste) *Valet totus hic locus ad conciliandam sibi Cæsaris animum, dum suam erga illum fidelitatem declarat. Quoniam autem in statu coniecturali argumenta sumuntur à causa, & à voluntate, hinc fulcit confutationem suam. Huius autem argumentationis Idæam non verbis translatis vti vides, sed proprijs: eius syntaxin non nimis diligentem neque numerum Illustrem. Soarium vide sua Rhetor. lib 4. cap. 51* SED QVISNAM est iste?) *Prior confutatio de insidijs per distributionem. Si times insidias, aut tui, aut inimici insidiantur: at nec tui, nec insidiantur, non igitur timere insidias debes.*
DE TVISNE?) *Docet Aristoteles Rhetoricorum secundo. Eos confidere, qui iniuriam nemini intulerint, aut paucis, aut non huiusmodi hominibus, quos timere debeant. Vides itaque, quàm prudenter tractet dilemmate hoc argumentum à partium enumeratione: ostendatque, à nemine esse timendum;* TAMETSI qui magis) *Correctio, qua in-*

nuit, fideliores futuros conseruatos, quàm suos. AT SI tui nihil) *Alterum dilemmatis membrum.* AVT sua pertinacia) *Eos intelligit, qui renouato bello interfecti deinde fuerũt. quorum in numero ipse esse noluit. Eodem fere verbo vsus ad Caßium scribens Fam. lib. 15. Et si vterque nostrum, spe pacis, & odio ciuilis sanguinis abesse à belli pertinacia voluit.* VT AVT nulli supersint) *Hoc ait. Tui inimici aut mortui, aut viui sunt: mortui desierunt tecum inimicitias exercere: viui, quòd vitam suam acceptam tibi referant, sunt amicißimi.* SED tamen cum in animis hominum) *Improuida hominum mens nulla satis sibi cautione consulit. notum illud Horatij.*

> *Quid quisque vitet, nunquam homini satis cautum est in horas.*

Cicero quoque Q. Fratrem monebat, vt sibi caueret à prouincialibus hominibus: multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vnicuiusque natura. Hanc eandem beneuolentiam, eumdemque Ciceronis amorem erga Cæsarem eodem fere sensu potes agnoscere. NAM quis est omnium tam ignarus) *Illustris fit hic oratio quatuor cognominatis.* DIES, noctesque vt debeo) *Commemoratio beneficij aptißima ad cõciliandam beneuolentiam: ad suspitionem proditionis tollendam, ad spemque excitandam.* CASVS duntaxat humanos)

> *Omnia sunt homini tenui pendentia filo,*
> *Et subito casu, quæ valuere ruunt.*

Ouidius. Stabile videtur nostra habere vita nil. Monosticha. INCERTOS euentus valetudinis)

Mor-

Morbi hominibus nunc interdiu, nunc noctu ingruũt temere, mala mortalibus afferentes. Hesiodus. NATVRAE) communis fragilitatem) *Lex vniuersi est, quæ iubet nasci, & mori. Publius.* SCELERIS, insidiarumque cõsensio.) *Nota illa Tibulli querimonia.*

Quis fuit horrendos primus, qui protulit enses?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.

ORATIO.

OMNIA sunt excitanda tibi C. Cæsar vni, quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa; atque prostrata. Constituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles, omnia, quæ dilapsa iam defluxerunt, seueris legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quassata Resp. quicunque belli euẽtus fuisset, multa perderet, & ornamẽta dignitatis, & præsidia stabilitatis suę: multaque vterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidẽ nunc tibi omnia belli vulnera sananda sunt, quibus præter te mederi nemo potest. Itaque illam tuã præclarissimam, & sapientissimam vocem inuitus audiui. Satis diu vel, naturæ vixi, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse, addo etiam si placet gloriæ. At, quod ma-

ximum eſt, patriæ, certe parum. Quare omitte quæſo iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam. Noli noſtro periculo ſapiens eſſe. Sæpe enim venit ad aures meas, & te idem iſtud nimis crebro dicere: Satis te tibi vixiſſe; credo. ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viueres; aut ſi tibi etiam ſoli natus eſſes. Nunc cum omnium ſalutem ciuium, cunctamque Rempub. res tuæ geſtæ cõplexæ ſint; tantum abes à profectione maximorum operum, vt fundaméta, quæ cogitas, nondũ ieceris. Hic tu modũ vitæ tuæ non ſalute Reipublicæ ſed æquitate animi definies? Quid? ſi iſtud ne gloriæ tuæ quidem ſatis eſt? cuius te eſſe auidiſsimum, quamuis ſis ſapiés, non negabis. Parum ne igitur, inquies, gloriã magnam relinqueremus? Immo vero alijs quãuis multis ſatis, tibi vni parũ. Quicquid enim eſt quamuis amplũ ſit, id certe eſt, parũ tum cum eſt aliquid amplius. Quod ſi rerum tuarum immortalium C. Cęſar hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduerſarijs Rempub. in eo ſtatu relinqueres, in quo nũc eſt; Vide, quęſo, ne tua diuina virtus admirationis plus ſit habitura, quãm gloriæ. Siquidem gloria eſt illuſtris, ac peruagata multorum, & magnorũ, vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum hæc igitur tibi reliqua pars eſt; his reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, vt Remp. conſtituas; ea que tu imprimis compoſita ſumma trãquillitate, & otio perfruare. Tum te ſi voles, cũ &

patriæ,

patriæ,quod debes,solueris, & naturã ipsam expleueris satietate viuendi,satis diu vixisse, dicito.quid est enim omnino hoc ipsum diu in quo est aliquid extremum. quod cũ venerit,omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit;(qanquam iste tuus animus nunquam his angustijs,quas natura nobis ad viuendum dedit,contentus fuit. Semper immortalitatis amore flagrauit. Nec vero hæc tua vita dicenda est, quæ corpore,& spiritu continetur. Illa inquã illa vita est tua Cæsar,quæ vigebit memoria sæculorum omnium;quam posteritas alet,quam ipsa æternitas semper tuebitur;huic tu inseruias, huic te ostentes,oportet: quæ quidem, quæ miretur,iam pridem multa habet,nũc etiam, quæ laudet, expectat.

EXPLANATIO.

OMNIA *sunt excitanda)* *Elegans, atque admodum vehemens malorum consecutorum ex bello commemoratio,addita,vt Cæsaris mens, atque animus excitetur ad constituendam Rempublicam. Amplificatur etiam oratio ex rebus,quæ Cæsaris diligentiæ sunt subiectæ; Exornatur quoque hypothyposi: nã quot mala bellum secum trahat,hic cernis.* CONSTITVENDA iudicia) *Siluerant enim diu leges inter arma:* REVOCANDA fides) *Quasi de re animata loquatur Fides itaque intermissis iudicijs conciderat.* COMPRIMENDAE libidines) *Lege lata. Quam deinde intellexit Horatius l. 4. Ode 5.*

Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos, & lex maculosum edomuit nefas.

PROPAGANDA soboles) *Ob multos, in bello interfectos. Horatius lib. primi Ode 2.*

Audiet ciues acuisse ferrum,
Quo graues Persæ melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara iuuentus.

QVAE dilapsa iam fluxerunt) *Steterat enim antea moribus antiquis Res romana, vigueratque.* VVLNERA curanda sunt) *Respicit ad superiora: quassata Respublica perderet ornamenta, & præsidia stabilitatis suæ: hæc enim amissa sunt veluti vulnera, Reipublicæ corpori infixa.* ITAQVE illam præclarissimam) *Alteram confutationis partē aggreditur: dixerat enim Cæsar, se satis diu, vel naturæ, vel gloriæ vixisse. Hoc refellit ab adiunctis: nempe ab officio optimi principis; cuius est existimare, se non sibi solum natum esse, sed & patriæ. ex comparatione autem veræ, perfectæque gloriæ, & falsæ oritur altera cōstitutio definitionis.* PRAECLARISSIMAM & sapientissimam) *Vt epitheta hæc illustrem reddunt orationem, ita etiam inuictū animi robur Cæsaris declarant; in contemnenda morte.* SATIS, si ita vis naturæ) *Concedit, quod statim remouet, dum probat, illum parum patriæ vixisse, atque ita tacitè illum officij sui admonet.* VEL gloriæ) *Rebus bellicis quantum sibi gloriæ peperit, superius annotauimus; Visum est autem non alienū ab instituto nostro huc afferre verba quædam ex 1. Epistola li 10. Familiarum, quæ eamdem ferè sententiam cōtinent;*

tinet, quam hæc. Sic Cicero. Itaq; mihi maxima curæ est, non de mea quidem vita, cui satisfeci vel ætate, vel factis, vel, si quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria. ISTAM Doctorum hominum) Intelligit Stoicos, Socratem, Aristippum, Platonem, aliosque, qui mortem spernere videbantur. Scribit Aelianus de varia historia cum quidam ex medicis Platoni consuleret, vt relicta Academia, loco pestilentissimo, in Lyceum scholam se transferret, nequaquam ipsum obtemperare voluisse; cum diceret, se producendæ vitæ causa, ne in Atho quidem amœnitatem transmigrare velle. CREDO) Concedit, Syllogismo connexo, veram esse Cæsaris sententiam, si sibi soli viueret, at non sibi, sed & patriæ. Ergo non satis vixit, quia non patriæ satis vixit. NVNC cum omnium salutem) Assumptione probat, illum non satis vixisse à causa finali. Salus Reipub. à tua pendet. QVAE cogitas) Aedificij illius, quod animo meditaris, fundamenta vix iecisti: perstat autem in metaphora, à perfectione maximorum operum ducta: posset etiam videri allegoria: est autem à minori. Hic tu modum) Acrimoniæ multum habet interrogatio hæc, non quidem quæ Cæsarem obiurget, sed quæ vehementer illius animum excitet. CVIVS te auidissimum, quamuis sapiens) Sapiens quidem non iccirco sapienter agit, vt inde sibi gloriam aucupetur, nam virtute ipsa sola inflammatur ad honeste agendum: gloriam tamen, quæ virtutis præmium est, non contemnere debet: gloriæ namq; causa non interit lux virtutum, latè patentium, vt ait Pindarus Ode 4. Olymp. Ex quo non immeritò censebat Bion Borysthenites, gloriam esse matrem annorum:

ob id opinor, quod cum hominis vita breuis sit, honesta memoria in secula propagatur. PARVMNE) Occupatio, quam statim soluit: alijs quidem satis magnam gloriam reliquisti, tibi non satis. addit rationem, ex re ipsa sumptam. ADMIRATIONIS plus) Quod tot, tantasq́; res, tam cito, tam bene, præclareq́; gesseris. SI quidem gloria est illustris) Locus à definitione, qui adhibetur ad tollendã controuersiam Constitutionis tertiæ, de qua superius, cum de constitutione causæ ageremus. quoniam aũt libro primo Rhetoric. Soarij capite 16. admonuimus, veram definitionem constare debere genere, & differentijs, obseruent adolescentes, hic famam poni pro genere, reliqua vero esse tanquam proprietates & differentias gloriæ. HAEC igitur tibi) Sequitur conclusio Confutationis, cui addit cohortationem de componenda Republica; eumq́; ab omni prorsus suspicione liberat, cum tamen, vt sui curam gerat, admoneat; omniumq́; ciuium officium ei differt, & pollicetur. Allegoria sumpta est à fabulis Comicis, aut Tragicis. HIC Restat actus) Hoc ipso dicendi genere vsus est prima Epistola ad Q. Fratrem, cum de tertio anno, quo ille prouinciam administrabat, loqueretur. TV In Primis) Par si quidem est, vt, qui sustinuit laboris plurimum in opere faciendo, primus illius gloriam, & fructum consequatur. TVM Te si voles) requies à laboribus tandem aliquando, vt sit, necesse est: at quando? cum patriæ, quod debes persolueris, & naturam expleueris vitæ satietate. Est igitur Concessio, duabus conditionibus constans. HOC Ipsum diu) Confutatio verbi, Diu, in qua Ironia cernitur opposuit autem diu, & extremum,

vt

vt vera esse existimaret. QVANQVAM Iste tuus animus) *Cum, quid liberius se dixisse, sentiunt Oratores, id corrigere consueuerunt, ne audientis animum offendant; id vero faciunt, cum præcipuè de beneuolentia illius retinenda agitur: locus illustratur contrarijs, & diuersis.* NEC vero ita) *Collatio veræ & falsæ vitæ.* EPITECTVS, *vt est apud Stobæum Sermone primo, vitam humanam fortunæ coniunctam, torrenti similem esse, dicebat: turbulenta enim, & cœno plena, ingressu difficilis, violenta, & obstrepita est, & ad breue tempus viget.* ILLA illa inquam vita est) *Pronomen duplicatum illustrem reddit orationem, estque vitæ definitio conglobata, non quidem iuxta Christianorum opinionem, sed veterum illorum, qui (præter Platonem) immortalitatem illam aliam agnouerunt, quàm eam, quæ in viuorum memoria posita esset, quam sententiam videtur Cicero sequi hoc loco.* SEMPER tuebitur) *Aldina impreßio sic habet, quam lectionem germanam esse, puto; non, intuebitur, vt habet Lugdunensis. hoc enim significat Cicero, quòd dixit Horatius.*

Exegi momentum ære perennius:
De æternitate scriptorum suorum loquens, quæ ingenij sui fœtus cõseruatura. QVAE laudet expectet) *Reipublicæ constitutionem innuit.*

ORATIO.

OBSTVPESCENT posteri certe Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas

gnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos : Sed nisi hæc vrbs stabilita tuis consilijs, & institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe, atq; latè, sedem quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio; cum alij laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent, alij fortasse aliquid requirent, idq; vel maximum, nisi belli ciuilis incendium salute patriæ restinxeris. vt illud fati videatur, hoc fuisse consilij. Serui igitur ijs etiam iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt: & quidem haud scio, an incorruptius, quàm nos: Nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt: Id autem etiam si tunc ad te, vt quidam falso putant, non pertinebit, nunc certè pertinet, te esse talem, vt tuas laudes obscuratura nulla vnquam sit obliuio. Diuersæ voluntates ciuium fuerunt, distractæq; sententiæ. Non enim consilijs solum, & studijs, sed armis etiam, & castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quædam, erat certamē inter clarissimos duces: Multi dubitabant, quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Respublica est hoc misero, fataliq; bello. Vicit is, quis nō fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret, neque omnes, quibus iratus esset, eosdem etiā exsilio, aut morte

te dignos, iudicaret. Arma ab alijs posita, alijs erepta sunt. Ingratus est, iniustusq; ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum, vt etiam ille sit melior qui in acie cecidit, quàm qui in causa animã profudit. Quæ enim pertinacia quibusdam, eadem alijs constantia videri potest. Sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, extinctaque æquitate victoris, restat, vt omnes vnum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis, quia nisi te C. Cæsar saluo & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maximè vsus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, vt vitę, vt saluti tuæ consulas, omnesque tibi, vt pro alijs etiã loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cauendum sit, non modo excubias, & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur. Sed vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea, Maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus, & lachrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere, à me certe dici volunt, cui necesse est, quodammodo, & quod volunt, & quod, M. Marcello à te huic ordini, Populoq; Romano, & Repub. reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non vt de vnius solum,

sed,

ſed, vt de communi omnium ſalute, ſentio. Quòd autem ſummæ beneuolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, vt vix C. Marcello optimo, & amantiſsimo fratri præter eum, quidem cederem nemini, cũ id ſollicitudine, cura, labore tandiu præſtiterim quàm diu eſt de illius ſalute dubitatum, certe hoc tempore magnis curis, moleſtijs, doloribus liberatus præſtare debeo. Itaque, C. Cæſar, ſic tibi gratias ago, vt omnibus me rebus à te non conſeruato ſolum, ſed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam poſſe, non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus acceſſerit.

EXPLANATIO.

OBSTVPESCENT poſteri) *Iterum commemorat res geſtas Cæſaris in Gallia, Germania, Britania, Alexandria: amplificatas fluminum nominibus ad res extollendas magis, ac magis.* MONVMENTA) *Quæ tum ad ſignificandam virorum illuſtrium virtutem, tum ad poſteros excitandos, & inflammandos ad præclara facinora erigebantur. Laude dignum illud Themiſtoclis, qui cum noctu ambularet in publico, interrogatus, cur id faceret, Milciadis, inquit, trophæum me dormire non patitur.* MVNERA) *Quæ ad conciliandam plebis gratiam publicè exhibebantur.* TRIVMPHOS) *Triumphus inter honores omnes, qui à S. P. Q. R. dabantur, eximius erat triumphare autem nemo poterat, niſi qui millia quinque hoſtium vna acie occidiſſet.*

STABILEM sedem non habebit) *Qua autem ratione habere posset, ostendit, nempe vrbe stabilita suis consilijs.* ERIT inter cos etiam) *Repetitio probationis, à posterum iudicio sumpta, periphrasi, distributione, hyperbole, & metaphora exornata. Annotauerat ante Petrus Victorius Variarum lectionum libr. 21. cap. 7. ex hoc loco cerni posse, bellorum ciuilium auctores integram gloriam, plenamq; non consequi, nec ab omnibus ciuibus solere laudari. Cōfert Ciceronis verba, cum Isocratis verbis* VT illud fati) *Vicisse gentes innumerabilis fuit fortunæ fauor, Rempublicam constituisse, tui fuerit consilij: in bellica laude socium habuisti, in componenda Republica, laus tota tua erit.* SERVI igitur) *Conclusio, qua semel institutam cohortationem absoluit. Hanc fulcit eorum iudicio, qui incorruptius iudicare possunt: cum plerunque inter viuentes aliqua animi permotione iudicare consueuerimus, de mortuis autem minus corrupte.* VT QVIDAM falso putant) *Vide Tusculanam primam.* DIVERSAE voluntates ciuium) *Hæc, quæ sequuntur de diuersa ciuium voluntate, quanquam veniam petere videntur, quia liberior oratorum est confeßio, & ad oblectandum Cæsaris animum prolata existimari possunt, attamen, ni fallor, expolitio est verborum illorum: Et si aliqua culpa tenemur erroris humani: longius sanè petita, sed loco opportuno posita: accedit enim ad perorationem, in qua mouendi erant affectus.* NON enim consilijs solum) *Elegans descriptio rei dubiæ, exposita causis, personis, & rebus, illustrata distributione, & anaphora.*

NON

NON enim consilijs) *Ratio distractarum sententiarum: vtitur ijsdem verbis pro Q. Ligario: partim consilijs, partim studijs.* ERAT autem obscuritas) *In arduis enim, maximisq́; rebus non facilè apparet, quid optimum sit factum.* DVCES clarissimos) *Pompeium laudat, ne cum imbelli viro rem Cæsar habuisse videatur.* DVBITABANT Quid optimum esset) *Id oratorie magis, quàm vere: nā alibi secus scripserat.* PERFVNCTA Resp.) *Oratio affectus plena, auribus iucunda: non dißimile illud Virg. AEneid. 2.*

Ergo omnis longo soluit se teucria luctu,

QVI non fortuna inflammaret) *Quàm illustrem reddant orationem, motumq́; animis afferant verba translata, hinc audis fortuna inflammaret; De victoria intellige, quæ videtur accendere animos ad vlciscendas acceptas iniurias.* AVT morte dignos) *Tanta fuit clementia Cæsaris erga hostes, & rebelles, vt Marius non semel dixerit. Cæsar, qui apud te audent dicere magnitudinem tuam ignorāt: qui non audent, humanitatem & clementiam. Paucos sanè victor interfecit: vt refert Suetonius in illius vita.* QVAM qui in causa animam profundit) *Quid de hoc loco sentiat Petrus Victorius, leges lib. 16. variarum lectionum cap. 21.* QVAE enim pertinacia) *Hæc plerunq; in malam partem sumitur. fuisset itaq; praui ingenij, armorum periculo liberatū, animum retinere armatum; quod rectè iudicantibus non est constantiæ, sed pertinaciæ. quædam affinia esse virtuti, quæ tamen virtutes non sunt, norunt docti.* EXTINCTA est æquitate) *Respicit ad illud, fortuna inflammaret odium.* SED etiam sanitatis)

Qui

Qui enim sanus esse is poterit, qui eum interfectum velit, à quo sua salus pendeat? TE in ista sententia manente) *An hoc dicit Cicero, quòd leuem, & inconstantem Cæsarem futurum existimet? nunquã adducar, vt credam. Quid ergo? Existimo potius, deterrere, si qui essent, qui struere vellent insidias Cæsari: illisq; interminari, si hoc fecerint, fore: vt nõ perstet in sua clementia, sed mutata sententia, de sumendo de illis supplicio sit cogitaturus.* SED VT VNde est orta) *Totius orationis peroratio, duabus partibus constans: priore senatus, Reipublicæq; nomine gratias agit, ad quas tanquam longa digreßione vsus esset, redit: posteaquam scilicet, & Cæsaris egregiè facta laudauit, & de dolis, insidijsq; suspicionem confutauit. altera vero vnius Ciceronis personam respicit, qui cum M. Marcello valde amicus esset, & pro illius reditu valde laborasset, hoc impetrato, affirmat se multũ hoc nomine Cæsari debere, & ad ipsius Cæsaris in se beneficia plurimũ acceßionis factũ esse. qua re cum in ipso optimi, perfectißimiq; amici officium cernatur, non potest non probitate sua tum Cæsaris, tum senatorum omnium beneuolentiam sibi conciliare. id autem cum faciat, & audientium animos delectando commouere, & beneficium collatum in omnium salutem repetendo, istud ipsum non leui artificio amplificare, facile perspicere possumus. de quo admonere volui adolescentes, vt sciant, quanquam in exornationibus non illa adhibeatur peroratio (docet id Aristoteles Rhetoric. 3. & nos in cap. postremo lib. 2. Rhet. Soarij annotauimus) quæ animos commoueat, & res dictas repetat, tamen in hoc Epilogo cerni posse aliquod vestigium, quatuor illarum rerum,*

quibus constare perorationem docet Aristoteles loco citato. Insulsa autem prorsus fuisset Cæsaris virtutum repetitio, cum hæ satis toto cursu orationi amplificatæ fuissent. PRECIBVS & lachrymis) *Duo commemorat, quæ suorum omnium ciuium desiderium declarare possunt, mouet igitur.* SED quia non est stantibus) *Ita legit Paulus Manutius: interpretaturq́; , stare non debuisse omnes senatores, hoc est dicere: dicentes enim stabant, cæteri sedebant: quod vt verum est, ita non ignorandum, Oratores quandoq; sedentes egisse. Docet id Quintil. libr. 11. cap. 3. vbi scribit: Itemq́; ab ijs, qui sedentes agũt nam fere fit hoc in rebus minoribus, & ijdem impetus actionis esse non possunt.* DE communi omnium salute) *Cum enim exules in patriam reuoces, signum est, te saluos esse velle.* QVOD autem summæ beneuolentiæ est) *Alterum Conclusionis membrum, de quo iam diximus.* CONSERVATO ornato) *Similiter cadens cum incremento. Ornamenta autem à Cæsare in se collata commemorat in Oratione pro Ligario. Fasces nempe sibi concessos: quibus addit etiam hæc: qui mihi tum deniq; se salutem putauit reddere, si eam nullis ornamentis spoliatam redderet.*

ANALYSIS ETHICA.

I. *Dolendum est, cum videmus, virum probum, qui in eadem causa fuerit, in qua alius extiterit, non in eadem esse fortuna.*

II. *Vir bonus auctoritatem, dignitatemq́ue Reipublicæ suis vel doloribus, vel suspi-*

cionibus anteferre debet.

III. In summa potestate rerum omnium modũ tenere, summæ virtutis est.

IIII. Est magnus anteactæ vitæ fructus in hominum grauissimorum iudicio,

V. Si in dato beneficio laus est, etiam in accepto est gloria.

VI. Est verè fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia peruenerit.

VII. Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easq́; detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint imperatorum.

VIII. Res gestæ æstimantur ex contentionum magnitudine, numero præliorum, varietate regionum, celeritate conficiendi, dissimilitudine bellorum.

IX. Maximam rerum partem quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prospere gestum id pene omne ducit suum.

X. Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

XI. Nulla est tanta vis, tanta copia, quæ nõ ferro, ac viribus frangi possit.

XII. Qui animum potest vincere, & iracundiam cohibere, is cum summis viris comparandus, & Deo simillimus iudicandus est.

XIII. *Iracundia inimica est consilio.*

XIIII. *Victoria natura insolens, & superba est.*

XV. *Nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas.*

XVI. *Inuictus est, à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visq́ deuicta est.*

XVII. *Non est credibilis tantus in vllo furor, vt quo duce omnia sit adeptus, huius vitam nõ anteponat suæ.*

XVIII. *Melius est nimium timidum, quàm parum prudentem esse.*

XIX. *In animis hominũ multæ sunt latebræ, multiq́ recessus.*

XX. *Si ad humanos casus, incertosq́ euentus valetudinis sceleris etiam accedat, insidiarumq́ue consensio, quem Heroa, etiam si cupiat, opitulari nobis posse credamus?*

XXI. *Quæ dilapsa fluxerunt, seueris legibus sunt vincienda.*

XXII. *Quicquid est, quamuis amplum sit, id certè parum est, tum, cum est aliquod amplius.*

XXIII. *Gloria est illustris, ac peruagata multorũ, & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.*

XXIIII. *Quid est hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit.*

XXV. *Hæc vita dicenda non est, quæ corpore, & spiritu continetur: illa vita est, quæ vigebit*

memoria sæculorum omnium.

XXVI. *Posteri incorruptius, quam nos de egregie factis iudicabunt, nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt.*

XXVII. *Ingratus est, iniustusq́; ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet iratum.*

XXVIII. *Quæ pertinacia est quibusdam, eadem alijs constantia potest videri.*

PRO CAIO RABIRII PERDV. REI.

ARGVMENTVM.

NON est consilij nostri, quibus olim improborum ciuium causa fluctibus Romana Respubl. fuerit iactata, nunc ostendere, remq́ue altius repetere, vnde scilicet deduci posse videatur huius orationis argumentum. Quare hoc vno contenti erimus, admonuisse, interitu C. Memmij, viri integerrimi, in vrbe tumultus excitatos esse. Hunc, consulatus petitorem, quòd actionibus suis aduersaturum iudicabat, seu quòd C. Glauciæ, viri turpissimi, & omnium leuissimi, competitor esset in Prætura (vt auctor de viris illustribus scribit, vel vt Liuio placet, & Orosio, in consulatu) L. Apuleius Saturninus tertiũ tribunus plebis designatus, necandum curauit. Quo facto summa cum indignatione populi comitia dissoluta sunt. Saturninus autem plurimum sibi timens, comitantibus ipsum facinorosis quibusdam hominibus in Capitolium confugit. Coss. C. Mario, & L. Valerio Flacco negotium datur, vt imperium populi R. maiestasq́ue conseruetur: qui armati Saturninum adoriuntur, maximoq́ue astu fistulas, quibus aqua suppeditabatur Iouis optimi Maximi templis præcidi iubet Marius: tum Saturninus, Glaucia, cæteriq́ue in deditionem se dederunt. Hos Marius in Curia seruãdos dedit; atq; cum his agere decreuerat. Sed populos

eo irrumpens, eos inuasit, in illoq; armorum strepitu Saturninus lapidibus obrutus iacuit. Glauciæ vero cornix fracta. Annis autem quadraginta post T. Labienus, nepos Q. Labieni, in eo tumultu itidem cum Saturnino interfecti, suasu Cæsaris C. Rabirio Perduellionis diem dixit. Accusabat autem, Saturninum à Rabirio interfectum fuisse. Sed à seruo Q. Crotonis (vt quibusdam placet) fuerat interfectus. Huius quidem caput Rabirium per Comitia in ludibrium circumtulisse, scribit auctor de viris illustribus. Hac itaq; oratione defenditur à Cicerone.

QVID ESSE PERDVELLIO.

NICOLAVS Grucchius, qui de Comitijs Romanorum libros, summa doctrina refertos, scripsit, Ciceronis testimonio pluribus libro primo disputat non idem esse maiestatis crimen, & perduellionis: illudque fuisse docet, hostium duces pecunia liberare, aut priuatum hominem domi suæ hostium duces seruare incolumes: perduellionis autem, ciuem Romanum contra ius libertatis, sibi legibus, Porcia maxime, & Sempronia concessæ, in crucem tollere, aut securi percutere, aut in Latomias conijcere: Non idem etiam fuisse maiestatis crimen, & Perduellionis ex eo probatur, quod quæstio illa, quæ erat de crimine maiestatis, à prætore exercebatur; hæc vero Perduellionis à populo iudicabatur: quamuis à T. Labieno, Rabirij accusatore, ratio hæc obseruata non fuerit: sed more, qui sub Regibus seruabatur, Duumuiros à Prætorib. sortiẽdos,

curauerit, vt ex hac ipsa oratione apparet. Hoc autem crimen iudicari solitum fuisse Centuriatis Comitijs, apertè patet ex Valerio Max. libr. 6. cap. 5. & Cicerone pro domo sua: necnon lib. 3. de Legibus, vbi scribit, nihil videri omnino actum fuisse de se, propterea quod Clodius ipsum Ciceronis tributis Comitijs reum Perduellionis fecerat.

DE STATV, ET GENERE CAVSAE.

VIDERE est circa orationis medium, Ciceronem totum in hoc esse, non vt interfectum à Rabirio Saturninum neget, quod falsum esse Hortensius, illius patronus, docuerat antea: sed vt hoc iudicibus ostendat, iure, necne interfectus sit. Quocirca statuimus, non coniecturalem esse statum, vt nonnulli existimarunt, sed iuridicialem, & vt à Fabio vocatur, Qualitatis: quem Græci dixere δικαιολόγικον. Est autem ex ea iurisditialis status parte, quæ assumptiua vocatur, vt legentibus facile apparet. Genus causæ porrò quale sit, nulli non notum, quod enim Perduellionis Rabirius reus fiat, à Ciceroneq; defendatur, iudiciale dicitur.

DE EXORDIO.

QVOD Rabirij cogitationes, consiliaq; spectarunt eò, vt intercluderet omnes seditionum vias, eoque nomine reus factus esset, ipsum quidem ab aliquo defendi debere, honestati consentaneum videbatur. Res porrò cum ita sit, hoc habuit exordium, vt videatur è visceribus caussæ, quæ hic à Cicerone tractatur, erutũ: nec me latet; exordia iudicialia inter
dum

dum, præsertim in rebus honestis, omitti solere: sed profectò obseruarunt oratores, vt cũ illo vti possent, non omitterent: nã in illo, & ꝓ infelicibus misericordiam, & metum nonnunquam adhibere solebant, vt hic artificiosissime fecisse videtur Cicero: qui etiam hoc exordium ab officio suo deducere voluit; ne scilicet videretur, priuata aliqua vtilitate, sed publica Rabirij patrocinium suscepisse: tresque illas exordij virtutes adeo eleganter immiscet, vt hoc concinnius videri nihil poßit: & vt rem grauißimam esse ostẽdat, Deos immortales precatur, vt sibi adesse velint.

DE NARRATIONE.

SCRIBIT Cicero de Oratore, fuisse consilij, in iudicijs quando narrandum esset, aut non esset: quippe si res nota esset, nec dubium, quid gestum esset, narratio non adhibebatur. Quare quòd ante ab Hortensio acta fuisset causa, qui etiam factum narrare potuerat, ita vt res nota esset, nullam hic à Cicerone narrationem adhiberi, videbis.

DE CONFIRMATIONE ET CONFVTATIONE.

NATVRA, & tractatione, vtilitateque duæ hæ partes sunt coniunctæ: dum enim aduersariorum rationes infringimus, videmur, nostras confirmare. Hic quidem ita connexæ sunt, vt tamen Confutatio Cõfirmationem anteeat: quod Oratoris prudentia in hac causa sic exigere videbatur. In hac obseruabis, Ciceronem crimina quædam, Rabirio obiecta, sum-

ma cum dexteritate expedire, additis etiam prouinciarum testimonijs.

DE PERORATIONE.

PERORATIO quidem huius orationis non tota legitur, quòd temporis iniuria, vt pleraqúe alia, perierit: sed tamen cõiectare licet, qualis illa fuerit, cum totus ardere videatur Cicero. Itaque oratoris munus expleuisse videtur, quod est, in Peroratione tonare, fulgurare, & affectus iudicibus mouere.

DE ELOCVTIONE.

HVIVS orationis stylus vehemens admodum est, quod ita esse, indicant res, verba, figuræ sententiarum, & verborum, necnon numerus. Res vehementer commiserandæ, verba translata, figuræ sententiarum, admodum illustres, numerus concinnus. Sed audi Ciceronem, qui in libris de oratore sic scribit. Ius omne retinendæ maiestatis Rabirij causa continet. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus. Existimamus autem, Lectorem admonendum, orationẽ hanc earum esse numero, quas Cicero consul habuit, & quarum meminit in Epistolis ad Atticum; cuius hæc sunt verba. Curaui, vt meæ essent orationes, quæ consulares nominarentur: quarum vna est in Senatu Kal. Ianuarij: altera ad Populum de lege Agraria tertia de Othone, quarta pro Rabirio: quinta de proscriptorum filijs, &c.

ORATIO.



ETsi, Quirites, non est meæ consuetudinis initio dicendi rationẽ reddere, qua de causa quenque defendam; propterea quod cum omnibus ciuibus in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi; tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirij proponenda ratio videtur esse officij mei, propterea ꝙ, quæ iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absoluendũ debet videri. Nam me cum amicitiæ vetustas; tum dignitas hominis; tum ratio humanitatis; tũ meæ vitæ perpetua consuetudo ad C. Rabiriũ defendendum est adhortata, tum vero, vt id studiosissime facerem, salus reip. consulare officiũ; Consulatus denique ipse, mihi vna vobiscũ cum salute reip. commendatus, coegit. Non. n. C. Rabirium culpa delicti: nõ inuidia, viteq; turpitudo, non deniq; veteres iustæ, grauesque inimicitiæ ciuiũ in discrimẽ capitis vocauerunt; sed vt illud summum auxilium maiestatis, atq; Imperij, quod nobis à maiorib. est traditũ, de Rep tolleretur: vt nihil post hac auctoritas Senat⁹, nihil cõsulare Imperiũ; nihil cõsensio bonorũ contra pestẽ ac pernitiẽ ciuitatis valeret. Icc reo in his reb. euertẽdis vnius hominis senectus, infirmitas, solitudoq́; tentata est. Quamobrẽ si est boni Consulis, cum cuncta auxilia R. P. labefactari,

ctari, conuellique videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare ciuium fidem, suam salutem posteriorẽ salute communi ducere: est etiã bonorum, & fortium ciuium, quales vos omnibus R.P. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionũ vias; munire præsidia Reip. summum in Consulibus Imperium; summũ in Senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potius, & honore, quã pœna, & supplicio dignum iudicari. Quamobrem labor in hoc defendendo præcipue meus est, studium vero conseruandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis prouidendam; neque à Tr. Pl. susceptam, neque à Consule defensam, neque ad Populum R. esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam vt nullum sit posthac in Re. P. publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam; nullum extremis Reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis. Quæ cum ita sint, primum quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est; ab Ioue optimo maximo, cæterisque dijs, deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio multo magis hęc Respub. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precorque

queab ijs;vt hodiernum diem,&ad huius salutem conseruandam,&ad Rem P. constituendam illuxisse patiantur.Deinde,vos Quirites, quorum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit,oro,atque obsecro.quoniam vno tempore vita C. Rabirij hominis miserrimi, atque innocentissimi, salus Reip.vestris manibus,suffragijs permittitur,adhibeatis in hominis fortunis misericordiam,in Reip. salute sapientiam, quam soletis.

EXPLANATIO.

ET Si quirites) *Vt discentium vtilitati sit consultum, antequam Exordij verba excutiamus, de hoc eos admonendos,duximus.ne scilicet eam ignorent rationem,qua plurimum iuuari poterunt,& ad conficienda exordia,& ad iudicandum aliorũ scripta.Teneant igitur,exordia quatuor partibus contineri: initio collocatur aliqua sententia, quæ propositio vocatur; sequitur ratio : subinde conclusio propositionis: demum petitio.quæ quatuor partes à Græcis dicuntur,* πρότασις, κατασκευη, ἀπόδοσις, ἀξίωσις. *His itaque quatuor partibus constare exordium hoc,ostendam.* ET si quirites) *Propositio. Et si non est meæ consuetudinis,initio dicendi rationem reddere, cur quenquam defendam, tamen in hac causa Rabirij proponenda videtur.* NON est meæ) *At,id fecisse in oratione pro Archia poeta,apertum est;idque fieri debere,honestas exigere videtur,ne scilicet aut gloriæ,aut quæstus alicuius causa*

se ad

se ad dicendum contulisse, videatur. SEMPER satis iustam) Locus ab honestate, in quo sibi auditorū beneuolentiam collegit, illis scilicet modestissime officium suum commendando. TAMEN in hac) Ratio propositionis, quia agitur de capite, fama fortunisque Rabirij. CAPITIS) Caput hic non accipitur pro existimatione, vt in alijs multis Ciceronis orationibus, sed pro vita: nam Perduellionis crimine, ciuem Romanum interficere, licebat: præsertim cum S. C. hoc factum esset. Videāt consules, ne quid Respublica capiat detrimenti. Hoc enim S. C. summa rerum tribuebatur, vt testatur Plutarchus in vita Ciceronis, & Pauli AEmilij. Tu vide, vt tribus ijs rebus capite, fama, fortunis attentio præparetur. PROPTEREA quod) Altera probatio propositionis: quæ iustißima mihi causa visa est ad defendendum, eadē vobis ad absoluendum hunc iustißima videri debuerit: videtur locus esse à pari. NAM cum me) Enthimematis conclusio: dignitas quidem hominis, rationemque humanitatis, vitæque consuetudo me adhortaque ad Rabiriū defendēdum; tum vero salus patriæ, & consulare officiū: in quibus causis enumerandis obseruа incrementum. Cum autē beneuolentia (vt in Partitionibus docet) concilietur à meritis, à dignitate, & à virtute, hac sibi eā comparare studet: non dißimile illud Actione prima in Verrē. Adductus sum, Iudices officio, fide, misericordia, multorū bonorū exemplo, veteri consuetudine: &c. PERPETVA consuetudo) Quæ cum viros honestos defenderim semper, neminem vero accusauerim, multorum amicitias mihi conciliaui. Sine enim vlla accusatione Cicero vitam transegerat, quòd tum periculosum, tum ignominio-

miniosum esset. Vide Quintil. lib. 12. cap. 7. Scribit tamen Plutarchus in Lucullo, id accusandi studium vel sine priuata occasione, haud ignobile fuisse quini mo plurima delectatione eos mirari, laudareq́ue iuuenes consueuere, quos scelestis, ac flagitiosis hominibus, ceu feris generosos catulos, acerrime cernerẽt incumbentes. CONSVLATVS denique) *Videtur hoc dicere: quo tempore consulari dignitate me affecistis, eodem etiam Reipublicæ salutem cum illa mihi commendastis: eadem igitur dignitas, quæ exigit, vt Republicæ saluti sit consultum, me quoque adhortatur, vt hunc virum suscipiam, ac defendam, qui ob patriæ salutẽ, viros pernitiosissimos ab illa amouere, conatus est.* NON. n. C. Rabiriũ) *Depulsio figura,* ἀπόφασις *græce dicitur, de qua Quint. li. 9. cap. 3. ea amplificatione quadam vti solemus, purgationiq́ue mirifice conuenit, vt hoc in loco.* NON inuidia) *Qua illi inuideatur; nam vtroque modo dici inuidiam, & qua inuidemus, & qua nobis inuidetur, cernere est apud Ciceronem Tusculana 4.* ILLVD summum auxilium) *Totam accusationem videtur transferre in eas res, è quibus summa in Rempubl. deriuabat vtilitas. Colligit itaque, vt antea, attentionem, commemoratq́ue ea, quæ in illo Saturnini tumultu euenerant, & ad quæ, veluti ad sacram ancoram, in rebus trepidis Romana Respub. confugere solebat.* AVCTORITAS Senatus, cõsulare imperium) *Mandat Senatus, vt saluti cõmuni cõsulatur, cõsules iubent, vt ad arma cõtra flagitiosos homines cõcurratur.* CONTRA pestem) *perditissimos viros: metaphora, qua sæpissime vtitur Cicero, cum de improbis loquitur.*

SENE-

SENECTVS, infirmitas, solitudo) *Pathos ab hominis ætate, & conditione, ætate, ingrauescente, paupertate oppreßi, affinitate nulla fulti: valet plurimum ad commouendum animos in hoc iudiciali genere.* QVAMOBREM si est boni) Ἀξίωσις. *Petitio: quarta exordij pars, illustrata argumento à pari. Si Consulis est, ferre opem patriæ, est etiam bonorum, & fortium ciuium, intercludere omnes seditionum vias. Obserua interim, vt his verbis consulare officium oratoriè describat.* REIPVLICAE temporibus) *Periculis Reipublicæ; quod etiam strenue præstiterunt in Ciceronis consulatu, quum Catilina, vir nefarius, Reipub statum euertere, conatus est. Ciceroni siquidem mandarunt; vt prospiceret, ne quid detrimenti Respublica caperet* INTERCLVDERE) *Tunc autem intercluduntur seditionum viæ cum nulli datur occasio inuadendi Senatus interficiendi ciues, & omnia conturbandi in Republica; quod fecisse visus est. L. Saturninus. metaphora satis nota.* STVDIVM vero conseruandi) *Distributio meum est defendere, vestrum conseruare.* SI cenim existimare) *Videntur hic eadem repeti, quæ superius fuerant exposita, cum amplificatione tamen personarum, Tribuni pleb. consulis, populi Romani. Totus autem hic locus attentionem poscere videtur.* POST hominum memoriam) *Elegans dicendi modus, & attentioni mirificè conueniens. Rebus magnis attentionem fieri, notū est; vt hic: & pro Roscio Amerino. His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque satis commode me dicere, neque satis grauiter conqueri, neque satis libere vociferari posse, intelligo; & in Oratione pro L. Flacco. Non est is de Lydorum*

dorum, aut Mysorum, aut Phrygum, qui huc compulsi, concitatiquè venerunt, sed de vestra Republ. iudicaturi, de ciuitatis statu, de communi salute, de spe bonorum omnium. Est autem obseruatione dignissima magnitudo, grauitásq; huius exordij, quam adhibuisse Ciceronem in rebus grauioribus, & publicis cernere possumus. NEQVE à tribuno plebis) Videtur hæc gradatio quædam: à Tribuno plebis susceptam, à consule defensam, ad Populum delatam: vt Tribunorum esset suscipere, consulum defendere, populi deinde iudicare, in quibus de patriæ salute ageretur. Intelligit autem. T. Attium Labienum, qui Tribunus pleb. diem dixerat. C. Rabirio. VT nullum sit post hac) Discant adolescentes, in exordijs vti consueuisse Oratores amplificatione. quod docuit Cicero in partitionibus, cum scripsit: multa ex amplificatione posse ad principiorum præcepta transferri. REIpublicæ temporibus perfugium) Quale extat illud ad C. Marium consulem, cum ei mādatum est, vt obuiam iretur Saturnino, viro perditissimo. AB Ioue Optimo Maximo) Valerius Maximus Prisci Oratores ab Ioue Opt. Max. bene orsi sunt Vergil. lib. II.

Præfatus diuos solio Rex infit ab alto.

Vide seruium: quod hic Cicero facit: tametsi per irrisionem dicat in Diuinatione in Q. Cecilium: Si quid ex vetere aliqua oratione Iouem ego Optimum Maximum: vt hic Ciceronem non pudeat religionis, cum de patria salute agatur; imo, cum hæc Oratio probitatem Oratoris indicet, plurimum auctoritatis ad persuadendum habere, sciendum est. IOVE Optimo Maximo) Existimare possumus,

Ciceronem in his æmulatum esse Demosthenem: qui in Oratione de Corona sic exorsus est: πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. *Id est, imprimis quidem, viri Athenienses, Deos, deasq; omnes obsecro. quod itidẽ Homerica imitatione explicatum videtur.*

Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι.

DIIS, deabusque) *Attendo hoc inuocandi genus, nam cum voce illa, cæterisq; Dijs, Deas etiam intelligere potuisset, expreßius tamen, deas dicere voluit causa fortasse ea fuit, quam Seruius lib. 8. adfert; enarrans illud.*

Amphitryoniadæ magno cæterisq; Dijs.

Eodem modo locutus est pro Cornelio. Vt ab Ioue Optimo Maximo, cæterisque Dijs, deabusq; omnibus opẽ auxiliumq; petamus. DEINDE VOS quirites) *Petitio, affectuũ plena, qua simul cum beneuolentia attentionem quoq; sibi conciliare studet: attributis valde aptißimis vtitur, misericordia, Sapientia.*

ORATIO.

NVNC quoniam, T. Labiene, diligẽtiæ meæ temporis angustijs obstitisti, meque ex comparato, & constituto spatio defensionis in semihoræ curriculum coëgisti, parebitur, &, quod iniquissimum est, accusatoris conditioni; & quod miserrimũ, inimici potestati: quanquã in hac præscriptione semihoræ, patroni mihi partes reliquisti, Cõsulis ademisti: propterea quod ad defendendum propemodum satis erit hoc mihi temporis, verum ad conquerendum

dum parũ. Nisi forte de locis religiosis, ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti; pluribus verbis tibi respondendum putas quo in crimine nihil est vnquam abs te dictum, nisi à C Marco obiectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus; oblitũ esse; q̃d æqui, & iurati Iudices iudicarint An de peculatu facto, an de tabulario incenso lõga oratio est expromẽda? quo in crimine propinqu⁹ C. Rabirij iudicio clarissimo C. Curtius pro virtute sua est honestissime liberat⁹; ipse vero Rabirius nõ modo in iudiciũ horũ criminum, sed ne in tenuissimã quidem suspicionem verbo est vnquam vocatus. An de sororis filio diligentius respondendum est? quem, ab hoc necatum esse, dixisti; cũ ad iudicij moram familiaris funeris excusatio quæreretur. Quid enim est iam verisimile, quam cariorem huic sororis maritũ, quàm sororis filiũ fuisse? Atq; ita cariorẽ, vt alter vita crudelissime priuaretur; cũ alteri ad prolationẽ iudicij biduum quæreretur. An de seruis alienis, cõtra legem Fabiã retentis, aut de ciuibus Romanis, contra legẽ Portiam verberatis, aut necatis plura dicenda sunt? cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ singuli voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur: cumq; ad eius propulsandum periculum non modo homines, sed prope regiones ipsæ conuenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quàm ipsius vicinitatis nomen, ac termini postulabant?

Nam quid ego ad id longam orationẽ comparem; quod est in eadem multa irrogatione præscriptum, hunc nec suæ, nec alienæ pudicitiæ pepercisse; Quin etiam suspicor, eò mihi semihoram à Labieno præstitutam esse, vt ne plura de pudicitia dicerem. Ergo ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam desiderãt, intelligis, mihi semihoram istam nimium lõgam fuisse; illam alteram partem de nece Saturnini nimis exiguam, atque angustam esse voluisti: quæ non oratoris ingenium, sed Cõsulis auxilium implorat, & flagitat.

EXPLANATIO.

NVM quoniam) *Conuersa oratione sua ad delatorem Labienum, crimina, C. Rabirio obiecta, diluere aggreditur: ac vt accusatorem in odium magis adducat, de illo conqueritur, quod breue temporis spatium ad dicẽdum dederit.* DILIGENTIAE meæ) *Ad patroni munus diligentia in defendendo cliẽte inprimis spectare videtur, qua qui non vtitur, illi vtcumque deesse videtur, & fraus quædam existimatur; quod lege vetitum fuerat. Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto* CONSTITVTO spatio) *Quod spatium, & ad accusandum, & ad defendendum dari solitum aut à consule, aut à Trib. plebis obseruauimus: atque ita comparatas fuisse huiusmodi leges temporum præstitutorum, vt reus sesquialteras haberet horas: ita vt si Accusatori sex darentur, Reo nouem Sic in causa Milonis Accusator duas, Reus tres, id est sesquialteras habuit: naturalis*

enim

enim fauor pro laborantibus. Hic quidem conqueritur, in breue spatium se redactum esse: Annotauit Paulus Manutius in Perduellionis iudicio, Accusatorem fortasse habuisse potestatem præscribendi temporis rei defendendi. QVANQVAM hac in parte) μέρισμος. *Distributio. Hic enim singulis rebus proprietates distribuntur. de hac vide quid scribat Rutilius.* CONSVLIS ademisti) *Spatium enim mihi consuli non satis ad conquerendum datur, ad ostendendumq; quàm iniustè accusetur Rabirius, qui Reipublicæ saluti consultum cum esse voluerit, furori perditissimorum hominum se obiecit: cuius rei causa à te accusatus, nunc à me Consule defendendus est.* NISI forte) *Correctio, cum Ironia, qua etiam alia crimina, præter quam Perduellionis, vt leuia, nulliusque ponderis non modo refellit, sed & aspernatur.* DE locis Religiosis) *Quæ erant, in quæ illati fuerant mortui.* AC de lucis) *Qui prope deorum templa consacrabantur: Hos licebat interdum collucare, idest succidere; sacrificio prius peracto, cuius formulam Cato de Re rustica recitat.* IN quo ego demiror) *Rhetoricorum tertio docebat Aristoteles, criminationes dissolui posse à rebus, ante iudicatis, ostendendo, accusatos, innocentes tamen deinde repertos esse: qua ratione nunc vtitur Cicero.* AN de peculatu) *Quod est furtum publicum. hoc autem crimen, latum à regibus, aut saltem primis consulibus, opinatur Carolus Sigonius de antiquo iure ciuiu Romanorum.* PROPINQVVS. C Rabirij) *Hanc affinitatem statim declarat Cicero.* CVM ad iudicij moram) *Annota morem; non licuisse, aliquem vocari in ius, qui familiare funus duceret, aut mor-*

tuo parentaret LEGEM Fabiam) *Huius meminit Vlpianus, Paulus etiam Manutius de legibus Romanis: Irrogabatur autem vi huius legis Plagiarijs interdum grauior capitis pœna, interdũ leuior, personarum, & rerum habita ratione.* CONTRA legem Portiam) *In qua duo hæc capita erãt. Si quis magistratum verberaret, necaretue ciuem Romanũ: sed exilium irrogari ab eo permittebat.* SINGVLARI voluntate Campaniæ) *Locus à testibus, Videre autem est apud Ciceronem Actione septima in Verrem, Romanos olim publicis commẽdationibus reos subleuare solitos fuisse.* NAM quid ego) *Orationis vbertatẽ annota; dum enim obiecta crimina diluit, orationem non modo variat, sed amplificat, quod est proprium Oratoris.* MVLCTAE irrogatione per scriptum) *Tertia Accusatione perfecta, accusator tum rogationem scriptam promulgabat, in qua crimen, & pœnam, mulctamue comprehendebat. Quem autè damno afficiebant, id est pecunia condẽnabant, in ijs mulctæ nomen vsurpabãt: vnde illa, pecunia iudicare, pecunia anquirere, mulctã dicere, mulctã irrogare, fluxerũt.* DE pudicitia dicerẽ) *Quãta dexteritate obiectum crimen in aduersarium retorqueat, animaduerte: vt ipsa reiectione nihil aptius oratori euenire posse, quiuis credat: nam vbi Aristoteles nos docet viam diluendi criminis, præcipit, vt animaduertamus, num qui criminatur, ex illorum sit numero, qui culpam illam admisisse, credantur, aut nunc, aut primum.* ERGO ad hæc crimina) *Locũ de criminibus obiectis concludit; ad alium, qui erat, de Saturnino interfecto, & qui consulis auxilium implorabat, orationem suam conuertens.*

ORA-

ORATIO.

NAM de Perduellionis iudicio, quod à me ſublatum eſſe criminari ſoles, meum crimen eſt, non Rabirij: quod vtinã, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac Rep. ſuſtuliſſem. vtinam quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meæ laudis eſſet. Quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quam me in conſulatu meo carnificem de foro, crucẽ de campo ſuſtuliſſe? Sed iſta laus primum eſt maiorum noſtrorum, Quirites, qui expulſis Regibus nullum in libero populo veſtigiũ crudelitatis regiæ retinuerunt, deinde multorũ virorum fortium; qui veſtram libertatem nõ acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legũ munitam eſſe voluerunt. Quamobrẽ vter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt? tu ne, qui ciuibus Romanis in concione ipſa carnificem; qui vincula adhiberi putas oportere, qui in campo Marcio comitijs Centuriatis auſpicato in loco crucem ad ciuium ſupplicium defigi, & conſtitui iubes: an ego, qui funeſtari concionem cõtagione carnificis veto? qui expiandum forum P. R. ab illis nefarijs ſceleris veſtigijs eſſe dico? qui caſtam concionẽ, ſanctum campum, inuiolatum corpus omniũ ciuiũ R. integrũ ius libertatis defendo ſeruari oportere? popularis vero T. P. cuſtos defenſorq́; iuris, & libertatis. Portia lex virgas ab omnium ciuium Ro. corpore amouit. hic miſericors flagella retulit. Portia lex

libertatem ciuium lictori eripuit, Labienus, homo popularis, carnifici tradidit: C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium. Ro. iniussu vestro iudicaretur, hic popularis à duumuiris iniussu vestro; non iudicari de ciue. R. sed indicta causa ciuem Romanum capitis condemnari, coëgit. Tu mihi etiam legis Portię; tu C Gracchi, tu horũ libertatis, tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo supplicijs inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, cõmutare disciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem, popularemque delectãt. I lictor colliga manus: quæ non modo huius libertatis, mansuetudinisq; non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij, sed Tarquinij superbissimi, atque crudelissimi Regis: ista sunt cruciatus carmina; quæ tu homo lenis, ac popularis libentissime commemoras; caput obnubito; arbori infelici suspendito: quæ verba, Quirites, iam pridem in hac Repu. non solum tenebris vetustatis, verum enim luce libertatis oppressa sunt. an vero, si actio ista popularis esset, & si vllam partẽ æquitatis haberet, aut iuris C. Gracchus eam reliquisset? scilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit, quàm C. Graccho fratris? & tibi acerbior eius patrui mors est, quẽ nunquam vidisti, quàm illi eius fratris, qui cum concordissime vixerat? & similis viri tu

vlciſceris patrui mortem, atq; ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet: & par deſiderium ſui reliquit apud P. R. Labienus iſte patruus veſter, quiſquis fuit, ac Ty. Gracch⁹ reliquerat? an pietas tua maior, quam Gracchi? an animus? an conſilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent, tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum vero his rebus omnib. C. Gracchus omnes vicerit, quantum interuallum tandem inter te, atque illum interiectum putas?

EXPLANATIO.

QVOD vtinam) *Optio. de qua Cicero tertio de Oratore.* CRVCEM de campo) *Pœna Perduellionis erat acerbiſsima, nempe mortis: vt in P. Horatio, & hic in C. Rabirio, quibus crux, & in Spu. Caſsio, & M. Manilio, quibus ſaxum fuit propoſitum, apparet.* SED iſta laus) *Reiectio à perſonis, & maiorum auctoritate.* QVI expulſis regibus) *Anno poſt reges exactos populus iudiciorum dominus conſtitutus eſt: Si quidem latum eſt, vt populus conſulum decretũ irritum poſſet facere; ſi quis à conſulibus damnatus ad populum prouocaſſet. Hæc Sigonius de antiquo iure ciuium Romanorum lib. 2.* NON acerbitate ſuppliciorum) *Quæ erant, aut ſecuri percutiendo aut infelici arbori ſuſpendendo, id eſt in crucem agendo, præcedente vtrumque verberatione. aut de Saxo Tarpeio: aut de robore præcipitando, aut in culeo inſutum in profluentem proÿciendo, aut denique*

laqueo gulam frangendo. QVAMOBREM) *Diluit, quod à Labieno fuerat obiectum, Ciceronem nempe populo inimicum esse, quod iudicium perduellionis sustulisset Argumentum est à Repugnantibus; Repugnat enim, aliquem popularem esse, & eundem ciuibus carnificem adhibere* QVI ciuibus Romanis) *Labieni factum à circũstantijs, & adiunctis in odiũ adducit , suum vero mirificé commendat Cicero.* QVI in campo martio) *Legendus est Nicolaus Grucchius de Comitijs. R. qui omnia tibi explicabit, quæ in Campo Martio fierent, vbi scribit, locum centuriatis Comitijs destinatum fuisse campum Martium: Comitia tamen, quibus de Manlio Capitolino iudicatum est, ex Campo Martio in Lucum Petelinũ translata sunt. Causam ostendit Liuius lib. 6. Dec. primæ.* AVSPICATO in loco) *Ex Liuij verbis li. 3. Dec. primæ apparet, Comitia nulla haberi potuisse, nisi in loco inaugurato: hoc est, ab Auguribus ad eã rem dicato, & consecrato. Liuij hæc sunt verba. Igitur Tribuni, vt impediendæ rei nulla spes erat, de proferẽdo exercitu agere: eo magis, quod & augeres iussos adesse ad Regillum lacum, fama exierat, locumque inaugurati, vbi auspicato cum populo agi posset, vt quicquid Romæ vi Tribunitia rogatum esset, id comitijs ibi abrogaretur.* CONTAGIONE carnificis) *Visum est admonere, esse viros non indoctos, qui censent, carnifices, cum reos ad supplicium ducebant seruos & peregrinos, tintinabulos gestasse, ad conuocandam plebem, vel summouendam, fortasse , ne contaminaretur. Hinc tintinnaculi viri apud Plautum in Truculento . quo in loco scribit Lambinus ex auctoritate Turnebi, qui ad supplicium ducebantur, tin*tin-

tinnabula gestasse: obseruandum autem est, anthitesi, seu contentione iucundam fieri orationem, quod in Parttionib. docet Cicero. PORCIA lex) Sallustius in Oratione Cæsaris. Quamobrem in sententiam non addidisti, vti prius verberibus animaduerteretur in eos? an quia lex Porcia vetat? Cicero etiam superius. LICTORI eripuit, carnifici tradidit) Hic Cicero veluti per anthitesim comparat, carnificem cum lictore: Ambigitur à multis, quid à carnifice lictor differret, & hac de re scribit quadam Franciscus Polletus lib 5. Historiæ fori Romani cap. 14. C Gracchus) C. Sempronius Gracchus, iuris plebis retinētißimus, has leges in Tribunatu tulit: vnā, ne de capite ciuium Romanorum iniussu populi indicaretur: alteram, vt qui magistratus indicta causa in Ciuem R. animaduertisset, de eo populi quæstio constitueretur: tertiam, ne quis coiret, conueniret, quo quis iudicio publico circumueniretur. Hic primæ meminit Cicero. A DVVMVIRIS) Latet hic quid nescio, quod quidem nō sine stomacho dictum est. Itaque sciendum, sub regibus Duumuiros crimē Perduellionis iudicare solitos fuisse: deinde vero hæc iudicandi ratio mutata fuit, & ad populum translata. Quare vides, quam acriter in Labienum Cicero inuehatur, qui cum profiteatur, se popularem esse, legitimum indiciorum morem immutarit, & ad Duumuiros reduxerit. Hi autem, vt scribit Suetonius in Cæsare, & Dio. libr. 37. fuerant C. Cæsar, & L. Cæsar: hoc autem argumento erat, populo inicum esse Labienū. INDICTA causa) Id est sine iudicio, Cicero pro domo sua. Nego potuisse iure publico.

legibus ijs, quibus hæc ciuitas vtitur, quenquam ciuē vlla huiusmodi calamitate affici sine iudicio. Nō dissimile illud apud Virgilium lib. 7.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis.

TV mihi etiam) *Colligit à dissimilitudine, & cōparatione aliorū virorum, Labienum minime popularem esse: annota autem pronomen, Tu, sæpius per anaphoram repetitum, quantum valeat ad augendā Labieni improbitatem.* VIOLARE) *Violare, tentare, commutare, mira verborum concinnitas, Asyntheton, Isocolon, Similiter desinēs.* NAMQVE hęc tua, quæ te hominē) *Ex doctrina Aristotelis hæc dicuntur: qui Rhetoricorū primo docebat, cū ab accusatore lex aliqua obijcitur, quæ amplius in vsu nō sit; tunc laborādum esse oratori; vt id notum fiat: & hac ratione contra legem pugnandum esse. Eadem ratione vsus est in Maniliana, dum contra Hortensium disputaret: & pro. M. Cælio. Verum hæc genera virtutum, non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur.* I Lictor) *Disputat Valgius apud Gellium eosdem viatores cum lictoribus esse, vtiturque testimonio Ciceronis huius loci: sed alios fuisse viatores à lictoribus, certum est: quando & quomodo instituti fuerint lictores, Vide Liuium lib. 1. per prosopopeiam autē hic Labieni crudelitas in odium adducitur.* ARBORI infelici) *Sic Catullus de Annalibus Volusi.*

Infelicibus vstulanda lignis.

Quæ arbores infelices dicantur, apud Macrobium leges. TENERIS luce) *Quantum ornamenti orationi afferant Anthiteta, similiter cadentia, & Isocolon, vides; atque etiam, ad improbanda Labieni*

facta,

facta, quantum valeant. AN vero) *Argumentationem nunc aliam aggreditur Cicero, qua omnino probare vult, actionem hanc popularem non esse. hãc autem elegantißime illustrat adiunctis personarum dolore mortis, consuetudine, amore, dignitate, animo, cõsilio, auctoritate, & eloquentia, quibus omnibus grauior redditur Oratio.* Scilicet tibi grauiorem DOLOREM) *Negatio cum Ironia. Sic Virgilius.*

Scilicet is superis labor est.

Videtur Argumentum à maiori. CONCORDISSIME vixerat) *Pathos per comparationem. Tu nũquam illum vidisti, cum illo ille concordißime vixerat.* DESIDERIVM) *De Gracchis apud Plutarchum in Gracchis leges.* AN pietas) *Pietas erga fratres etiam dicitur. Cicero 2. de Inuentione erga parentes, & alios sanguine coniunctos, esse testatur. Hæ autem interrogatiunculæ valent ad refellendam Labieni obiectionem, qui Ciceroni respondere poterat: Et si hanc Gracchus iudicio prosecutus non sit, nõ tamen, hæc actio popularis non est. Cui Cicero respondet; voluit quidem Gracchus, at, se non posse, intellexit* AN eloquentia) *Cicero in Bruto de C. Graccho loquens: noli putare, quenquam, Brute, pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuisse: hoc idem ei tribuatur à Cornelio Tacito in Dialogo de Oratoribus huius immaturo interitu latinas literas magnum damnum fecisse, testatur ibidem Cicero.*

ORATIO.

SED moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quãm in eius concione carnifex

nifex consisteret: quem non modo foro, sed etiam cælo hoc, ac spiritu Censoriæ leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt. hic, se popularem dicere audet, me alienum à commodis vestris? cum iste omnes & suppliciorũ & verberum acerbitates, non ex memoria vestra, ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis, atque ex Regum cõmentarijs conquisierit? Ego omnibus meis opibus, omnibus consilijs, omnibus dictis, atque factis repugnarim, & restiterim crudelitati. Nisi forte hanc conditionẽ vobis esse vultis, quam serui, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent. Misera est ignominia iudiciorum publicorum, misera mulctatio bonorum, miserum exilium; sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis; mors denique si proponitur, in libertate moriamur: Carnifex vero, & obductio capitis, & nomen ipsũ crucis absit, non modo à corpore ciuiũ Ro. sed etiam á cogitatione, oculis, auribus: harũ enĩ omnium rerum nõ solũ euentus, atque perpessio, sed etiam conditio, expectatio, mentio ipsa deniq; indigna ciue R. atq; homine libero est. an vero seruos nostros horũ suppliciorũ omnium metu dominorum benignitas vna vindicta liberabit. nos à verberibus, ab vnco, à crucis denique terrore neque res gestæ, neque acta ætas, neque vestri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam T. Labiene, profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli

deli

deli importuna non tribunitia actione, sed Regia meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. qua tu in actione, quamquam omnia exempla maiorum, omnes leges, omnem auctoritatem Senatus, omnes religiones, atq; auspiciorum publica iura neglexisti, tamen á me hęc in hoc tam exiguo meo tempore non audies: liberum tempus nobis dabitur ad istā disceptationē. Nunc de Saturnini crimine, ac de clarissimi patrui tui morte dicemus. Arguis, occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum, & id C. Rabirius multorū testimonijs, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsū esse docuit: Ego autem, si mihi esset integrū susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer; vtinam hanc mihi facultatem causa concederet; vt possem hoc prædicare, C. Rabirij manu L Saturninum hostem, P.R. interfectum. Nihil me clamor iste cōmouet, sed cōsolatur: cum indicat, esse quosdā ciues imperitos, sed non multos. nunquā mihi crederet P R. hic, qui silet. Cōsulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri, arbitraretur. quanto iam leuior est acclamatio? Quin cōtinetis vocem indicem stultitiæ vestræ, testē paucitatis? libenter inquam confiterer, si vere possem; aut etiam si mihi esset integrū C Rabirij manu. L. Saturninū esse occisum, & id facinus pulcherrimū esse, arbitrarer. Sed quoniam id facere non possum; confitebor id, quod ad laudē minus valebit, ad crimen non minus. Cōfiteor, interficiendi Saturnini causa

causa C. Rabirium arma cepisse. Quid est Labiene? quam à me grauiorem confessionem; aut quod in hunc maius crimen expectas? Nisi vero interesse aliquid putas inter eum, qui hominem occidit, & eum, qui cum telo occidendi hominis causa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit; arma sumpta esse cótra Saturninum sine scelere non possunt; si arma iure sumpta, concedis, interfectum iure concedas, necesse est.

EXPLANATIO.

SED moreretur prius) *Patet, ex hoc loco, carnificem non modo ciuem non fuisse, sed nec eidem in vrbe domicilium habere licuisse: assumitur autem hic sententia, cur ita Gracchus iudicium Perduellionis omiserit.* HIC se popularem) *Ibidem perstat Cicero, & idem popularitatis argumentum tractat, & amplificat personarum collatione. Valet hac amplificatio ad augendum Labieno odium; vbi vides, orationis ideam eam esse, quæ valde efficax sit, ad affectus mouendos, &, in hoc regnare, Ciceronem, in confesso est,* REGVM commentarijs) *Auget rei atrocitatem regum nomine; quod odiosum omnino erat apud Romanos.* EGO omnibus) *Locus à Dissimili; vt idem, qui paulo post sequitur.* MISERA est omnino conditio) *In hac periodo duo verba sibi suspecta fuisse, vir doctissimus M. Antonius Muretus testatur variarum lectionum lib. 8. cap. 9.* SED tamen in omni calamitate) *Quod dixit, extenuat: id facit, quò grauius Labieni scelus esse, appareat.*

pareat. id vero per comparationem fieri debere ab eo, qui aduersarium vrget, ratio ipsa docet. OBNVCTIO) *Hoc est vnum ex verbis, suspectis Mureto: malebat q; obnuptio; vt conueniret cum carmine illo: Caput obnubito, infelici arbori suspẽdite; quã lectionẽ cõprobauit deinde Paulus Manutius.* CONDITIO) *Alterum verbũ, de quo dubitat Muretus: condictio: malebat: valet denuntiatio: est autem condicere, veteri lingua denuntiare.* VNA vindicta) *Docet Cicero in Topicis manumißionẽ tribus modis celebrari solitam fuisse: censu vindicta, & testamento: Vindicta manumittebantur serui, cum dominus serui caput lignea virgula feriebat ijs verbis: Liber esto: mẽtio de vindicta fit apud Persium Satyra 5.*

Vindicta postquam meus à prætore receßi,
Cur mihi non liceat, iußit quodcunq; voluntas?

Habes eadem in codice de vindicta, libertate: NOS à verberibus) *Prudenter hoc in loco Paulus Manutius admonet de supplicij ordine, quo perduellionis damnati afficiebãtur.* QVAMOBREM fateor) *Labieni calumniam concludit, eaque breuiter repetit, quæ superius contra ipsum attulerat.* MEO consilio) *Annota hæc, quibus qui sit prædi tus, is suspiciendus erit: consilio, quo res quaslibet suscepimus: virtute, cuius ope ab incepto non desistimus: in multis enim recte sentientibus, fortitudo desideratur: auctoritate, qua facilius suscepta conficere possumus.* NVNC de Saturnini) *Ad confutationem tandem, quæ præcipua huius orationis pars erat, accedit Cicero, quam optatione figura munire videtur.* VIRI clarissimi) *Quinti Labieni, quem superius dixit, quisquis hic fuit, vt hic, Ironiã esse, appareat liquido. Q.*

HORTENSIO defendenre) *In eadē causa patroni plures esse poterant: raro plures, quàm sex, vsitatum quatuor. Pedianus in argumento pro Scauro; defenderunt Scaurum sex Patroni, cū ad id tempus raro quisquam pluribus, quam quatuor vteretur.* SVSCIPEREM) *Articulus cū incremēto, quo fiduciam suam ostendit Cicero.* NIHIL me clamor) *Audisne in dicendo Ciceroni aduersi populi acclamationem obtigisse? quam auctoritate dicētis sedari posse, docet idem Cicero de Oratore. Obseruat autem hic, quod in Partitionibus docuerat, nempe, si interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab Aduersario dictū aliquod, & maximè in perorādo dederit occasionem nobis aliquam, vt dicamus aliquid ad tēpus apte ne derelinquamus.* QVANTO iam leuior) *Cōsulis dicentis auctoritatem maximā fuisse, apparet. Hic etiam tertium modum variandæ orationis obseruat, cuius meminit in Partitionibus; nempe cum imperamus, quod fit aut simpliciter, vt hoc in loco, aut per Ironiam, vt pro Milone; excitate, excitate eum si potestis, ab inferis.* QVIN continetis) *Loci huius meminit Quintilianus de Pronuntiatione* CONFITEOR interficiendi) *Secūdus modus dissoluendæ criminationis, cuius meminit Arist. Rhe. 3. fitq; cū factum concedimus, sed cōtendimus, vel non esse perniciosum, vel nō iniquum. Hic Cicero disputat, factum laudabile, & gloriosum esse, non autem iniquum. Sic pro Milone contendebat, maximis potius præmijs, quàm vlla pœna dignum esse.* SI interfici) *Hic tota defensio causæ posita est. Si Saturnini interitus iniustus, & arma iniusta, sed arma iniusta non sunt, nec igitur interitus: maior probabitur auctoritate Senat.*

ORA-

ORATIO.

FIT S.C. vt C. Marius L. Valerius Consules adhiberent T.Pl. & Prætores, quos eis videretur, operamque darent, vt imperium P.R. maiestasque conseruaretur: adhibent omnes T.P. preter Saturninum; præter Glauciã: Qui Remp. saluam esse vallẽt, arma capere, & se sequi iubent; parent omnes. ex ędificijs, armamentarijsque publicis arma Po.R. C. Mario Consule distribuente dantur. hic iam, vt omittam cætera, de te ipso, Labiene, quæro; cum Saturninus Capitolium teneret; armatus esset; vna C. Glaucia Sauseius, etiam ille ex compedibus, atque ergastulo Gracchus; addam, quoniam ita vis, eodem Q. Labienũ patruum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus Conss. post cunctus Senatus, atque ille Senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos. Po. C. qui nunc sunt in inuidiam vocatis, quò facilius de hoc Senatu detrahere posſitis, laudare consueuistis: cum equester ordo: at quorum equitum Ro. dij immortales? patrum nostrorum, atque eius ætatis: quę tum magnam partem Reip. atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat: cum omnes omnium ordinum homines, qui in salute Reip salutem suam repositam esse arbitrabãtur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? de te ipso vnquam, Labiene, quæro cum ad arma Coss. ex S. C. vocauissent; cum armatus M. AEmilius, Princeps

Senatus, in comitio constitisset: qui cum ingredi vix posset, non ad insequendũ sibi tarditatem pedum; sed ad fugiendum impedimento fore putabat: cum denique Q. Scęuola, confectus senectute, præpeditus morbo; mancus, & membris omnibus captus, ac debilis, hastili nixus, & animi vim, & infirmitatem corporis ostenderet; cum L. Metellus, Ser. Galba C. Serranus P. Rutilius C. Fimbria Q. Catulus omnes, qui tum erant Consulares pro salute communi arma cæpissent; cum omnes Prætores, cuncta nobilitas, ac iuuentus accurreret, C. & L. Domitius L. Crassus Q. Mutius. C. Claudius, M. Drusus; cum omnes Octauij, Metelli, Iulij, Casſij, Catones, Pompeij, cum L. Philippus, L. Scipio; cum M. Lepidus; cum D. Brutus; cum hic ipse P. Seruilius, quo tu Imperatore, Labiene, meruisti: cum hic Q. Catulus admodum tum adolescens: cum hic C. Curio: cum denique omnes clarissimi viri cum Consulibus essent, quid tandem C. Rabirium facere conuenit? Vtrũ inclusum, atque abditum latere in occulto, atque ignauiam suam tenebrarum, ac parietum custodijs tegere: an in Capitolium pergere, atque ibi se cũ tuo patruo, & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro Catulo, Metello, Scęuola: cũ bonis denique omnibus coire non modo salutis, verum etiã periculi societatem? Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? cum ignauiæ

niæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret, improbitas, & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret? Consules ad patriæ salutem, ac libertatem vocarent? quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid pater, qui cum? quid propinqui vestri, Equites Ro? quid omnis præfectura, regio, vicinitas vestra? quid ager Picenus vniuersus? vtrum Tribunitium furorem, an Consularẽ auctoritatem secutus est? Equidem hoc affirmo, quod tu nũc de tuo patruo prædicas, neminem vnquam adhuc de sese esse cõfessum. nemo est vnquam inuẽtus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus: fuerit, & fuerit nulla desperatione rerum suarum: nullis domesticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, vt amicitiã patriæ præponeret. iccirco ne oportuit, C. Rabirium desistere à Repub. non comparere in illa armata multitudine bonorum: Consulũ voci, atque imperio non obedire? Atqui videmus, hæc in rerum natura tria fuisse; vt aut cũ Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere mortis erat instar turpissimæ. cum Saturnino esse furoris, & sceleris: virtus, & honestas, & pudor cum Consulibus esse cogebat. hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum ijs

fuerit C. Rabirius, quos amétißimus fuiſset, ſi oppugnaſſet, turpißimus reliquiſſet? At C. Decianus, de quo tu ſæpe commemoras, quia cum hominē, omnibus inſignem notis turpitudinis. P. Furiū accuſaret, sūmo ſtudio bonorum omniū queri, eſt auſus in cōcione de morte Saturnini, condemnatus eſt, & Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi ſuę. condemnatus eſt. ſtatuerunt Equites R. illo iudicio, improbum ciuē eſſe, & non retinendum in ciuitate, qui hominis, hoſtilem in modum ſeditioſi, imagine, aut mortē eius honeſtaret, aut deſideria imperitorū miſericordia cōmoueret; aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, vnde hanc tu, Labiene, imaginem, quam tu habes, inueneris. Nā Sex. Titio damnato, qui iſtam habere auderet, inuentus eſt nemo. Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes, nunquam profecto iſtam imaginem, quæ domi poſita peſtem atque exilium Sex. Titio attuliſſet, in roſtra, atque in concione attuliſſes; nec tuas vnquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titij afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis: cauſam enim ſuſcepiſti antiquorum memoria tua: quæ cauſa ante mortua eſt, quam tu natus eſſes: qua in cauſa tute profecto fuiſſes, ſi per ætatem eſſe potuiſſes, eam cauſam in iudicium vocas. An non intelligis, primum

mum quos homines,& quales viros mortuos summi sceleris arguas?deinde ꝙ ex ijs,qui viuũt eodẽ crimine in summũ periculũ capitis arcessas?Nam si C.Rab.fraudẽ capitalẽ admisit,quod arma contra L.Saturninũ tulit,huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit. Q. vero Catulum patrem huius,in quo summa patientia, eximia virtus,singularis humanitas fuit,M. Scaurum illa grauitare,illo consilio,illa prudentia, duos Mutios,L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra vrbem cum præsidio fuit; quorum in hac ciuitate longe maxima consilia,atque ingenia fuerunt: cæteros pari dignitate præditos custodes, gubernatoresque R.P. quemadmodum mortuos defendemus?Quid,de illis honestissimis viris,atque optimis ciuibus Equitibus R.dicemus,qui tum vna cum Senatu salutem R. P. defenderunt?quid de tribunis ærarijs,cæterorumque ordinũ omnium hominibus,qui tũ arma pro cõmuni libertate ceperunt?Sed qd ego de ijs omnibus, qui Consulari imperio paruerunt,loquor?De ipsorum Cõsulum fama,quid futurum est?L.Flaccum, hominem cum semper in Repub.tum in Magistratibus gerendis,in sacerdotio,cęrimonijsque,quib. præerat, diligentissimum nefarij sceleris,ac parricidij mortuum condemnabimus? Adiungemus ad hanc labem, ignominiamque mortis etiam C. Martij nomen? C. Marium, quem vere patrem patriæ, parentem

inquam nostrę libertatis, atq; huiusce Reip. possumus dicere, sceleris. ac paricidij nefarij mortuum condemnabimus? Etenim si C. Rabirio quod ijs ad arma, crucem, T. Labienus in campo Martio defigendam putauit: quod tandem excogitabitur in eum supplicium, qui vocauit? Ac si fides Saturnino data est, quod abs te sępissime dicitur: non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit, idemque violauit si in fide nō stetit. Quæ fides, Labiene, qui potuit sine S. C. dari? Adeo ne hospes huiusce vrbis, adeo ne ignarus es disciplinæ, cōsuetudinisque nostræ, vt hæc nescias? vt peregrinari in aliena ciuitate: non in tua Magistratum gerere videare? Quid iam ista C. Mario, inquit, nocere possunt: quoniam sensu & vita caret: ita ne vero? tantis in laboribus. C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quam vitæ termini postulabant: spe, atq; animo de se, & gloria sua cogitasset? At credo cum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione Remp. liberasset, omnia sua secum vna moritura, arbitrabatur. Non est ita, Quir. neq; quisquā nostrum in reip. periculis cū laude, ac virtute versatur, quin spe posteritatis, fructuq; ducatur. Itaq; cum multis alijs de causis virorū bonorum mentes diuinæ mihi, atq; æternæ videntur esse, tū maximè, quod optimi, & sapientissimi cuiusque animus ita præsentit in posterum; vt nihil, nisi sempiternum spectare, videatur. Quapropter equidem & C. Marij, & cæterorum virorum sapien-

ſapientiſsimorum, ac fortiſsimorum ciuium mentes, quę mihi videntur ex hominum vita ad Deorum religionem, & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor, me pro illorum fama, gloria, memoria, nõ ſecus, ac pro patrijs fanis, atque delubris propugnandum putare. Ac ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſsent, non minus ſtrenue caperem, quàm illi pro communi ſalute ceperunt. etenim, Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ. Quare ſi eos, qui iam de vita deceſſerunt, ornabimus, iuſtiorẽ nobis mortis cõditionem relinquemus. Sed ſi illos, labiene, quos iam videre non poſſumus, negligis, ne ijs quidem, quos vides, conſuli putas, oportere? Neminem eſſe dico ex ijs omnibus, qui illo die Romæ fuerint, quẽ tu diem in iudicium vocas, pubeſque tum fuerit, quin arma ceperit, quin conſules ſecutus ſit. Omnes ij; quorum tu ex ætate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis C. Rabirij nomine citantur. At occidit Saturninum Rabirius. Vtinam feciſſet, nõ ſupplicium deprecarer, ſed præmium poſtularẽ. Etenim ſi Scæuæ ſeruo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninũ libertas data eſt; quod Equiti R. præmium dari par fuiſſet? Et ſi C. Marius quòd fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur I. O. M. templis ac ſedibus præcidi imperarat, quid in cliuio capitolio improborum ciuium.

EXPLANATIO,

FIT Senatûs consultum) *Desiderari videntur hic ea, quæ Cicero commemorauerat ad probandum, iure sumpta esse arma.* C. MARIVS. L. Valerius) *Anno* DCL III. *ab V. C. hi consules fuerunt, vt testatur Caßiodorus, & Obsequens: fuit autem hæc seditio 6. Marij Consulatu. Vide Carolum Sigonium in fastis consularibus, qui totam hanc rem fusius tractat.* VT imperium populi R.) *Summa hæc Senatus consulti, & hac vtebantur in rebus trepidis.* ADHIBENT omnes) *Habes hic imaginem tumultus vrbani, elegantißime descripti; diligentiaque illius, quæ ab illius, quæ ab ijs adhiberi consueuerat, qui munus publicum, hoc est dignitatem consularem, sustineret.* PRAETER Glauciam) *Quem prætorem tum fuisse, ostendit apertißime Cicero in Bruto ijs verbis: Is prætor eodem die, quo Saturninus Tribunus plebis Mario, & Flacco Coss. publice est interfectus, homo simillimus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notauerunt: legēdum autem est, Prætores præter Glauciam; quod admonuit Sebastianus Corradus aliquot ab hinc annis: eandem lectionem agnoscit Paulus Manutius.* C. GLAVCIA) *Longe post homines natos improbißimum vocat hunc in Bruto, sed peracutum, & calidum; cum primisq; ridiculum.* C. SAFEIVS) *Hunc quæstorem fuisse, scribit Appianus qui cum sitim ferre non posset, ob intercisos tubos aquam in Capitolium ducentes, suadere cœpit, vt Capitolium incenderetur.* ILLE ex compedibus) *De quo sic Appianus scribit libr. I. Apuleius in tertium*

deinceps annum tribunus pleb. refectus est, addito collega fugitiuo quodam, qui se Gracchi maioris iactabat filium, vulgo hominum cupide suffragante ob ipsum Gracchi desiderium: & hunc primo initi magistratus die perijsse, paulò post scribit: vt mirer, Paulum Manutium dicere, cum Saturnino quidem fuisse, sed non occisum, scribere Appianum. Huius etiam meminit Valerius Maximus; Auctor de viris illustribus, & Florus, quem sine tribu, sineq; nomine fuisse, ait. IN foro autem. C.Marius) *Elegantissima Hypotyposi comparat inter se diuersas partes, eorum nempe, qui patriam diuexarent, & eorum, qui eandem saluam esse volebant.* ATQVE omnem iudiciorum tenebat) *Præter Appianum, Paterculum, & Pædianum, qui, C. Gracchum à Senatoribus ad Equites iudicia transtulisse, scribunt, Varro etiam libr. 4. de Vita populi. R. id confirmat ijs verbis, vt profert Nonius, Gracchus Senatui inimicus equestri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, discordiarum ciuilium fontem.* QVID tandem. C.Rabirio) *Adeo causæ honestati confidit Cicero, vt hoc loco reiectione, siue communicatione petat ab Aduersario, quid C. Rabirio faciendum esse existimarit; Cum boni omnes arma pro patriæ salute cepissent nonne & Rabirius arma capere debuit?* M. AEMILIVS) *Huius gesta leges apud auctorem de viris illustribus capite 72. cæterum quis esset princeps Senatus nemo mea quidem sententia diligentius, accuratiusq; disputat Paulo Manutio libr. de Senatu pagina 24. qui etiam huius loci meminit, & affert rationem, quare Cicero non dixerit, M. Aemilius, homo cōsularis, sed prin-*

princeps Senatus. Onufrium etiam Panuinium in suis fastis legere poteris. PRAEPEDITVS morbo) *Pedum, quod ita esse facile apparet ex lib. 1. de Oratore: cum ita dicat: Id meis pedibus concedi certe est æquius: eodem libro; Crassus eius valetudinem infirmißimam vocat.* CONSVLARES tum) *Hoc ad augendum factum valet; hi enim spectatæ virtutis erant ob gestos ab ipsis consulatus; hos ferè omnes nominat etiam Philip. 8. atq; viros clarißimos vocat.* P. SERVILIVS) *Hunc P. Seruilium, cognomine Vatia fuisse, existimo: qui consul anno* DCLXXIV. *cum Appio Claudio pulchro: & de quo in fragmento Capitolino* P SERVILIVS VATIA. C. F. QVI POSTEA ISAVRICVS APPELLATVS EST. *de eius triumpho ex Cilicia, & Pamphilia meminit Carolus Sigonius in fastis consularibus, & Claudianus in primo in Eutropium.*

Indomitos curru Seruilius egit Isauros.

Q. CATVLVM) *Huic, collegæ suo Marium Cimbricæ victoriæ gloriam communicasse prodit Cicero Tusculana prima: de eius triumpho mentionem fecit Iuuenalis Satyra 8.* CONGREGARE, & coire) *Hæc sibi inuicem respondent: vt etiam turpitudo, & periculi societas, contraposita videntur. Hinc suauis efficitur Oratio; quam totam affectus plenam audis.* QVID omnis præfectura) *De præfecturis legendus est Carolus Sigonius de antiquo iure Italiæ cap. 11. 12. 13. 14. non paucas fuisse in Piceno Præfecturas, ostendit Cæsar lib. 1. de bello Ciuili cum inquit: Piceni cunctæ præfecturæ, & hic Cicero.* FVERIT, & fuerit) *ἐπιτροπὴ figuræ: Permißio, Conceßio: hæc autem mirifice conuenit exprobanti, & abijcienti curam*

ram: atq; adeo perbelle hac vtitur Cicero, vt etiam fortasse ironice perstringat obiter Labieni inopiam, eumq; de rebus domesticis male constitutum fuisse, ostendat: verbo duplicato illustris fit oratio. VT amicitiam patriæ) *Irrisione quadam hæc dicuntur, nihil enim patriæ saluti, ac incolumitati anteponendum.* ATQVI videmus) *Tribus propositis, quæ necessario præstanda erant ipsi Rabirio, duo excludit, tertium autem cum honestate coniunctum esse vult: plurimum autem ponderis, & auctoritatis in his verbis inest: idcirco oratio redditur probabilis, vt docemur in partitionibus; sumitur autem defensio per ἀναγκαῖον.* Hoc tu igitur) *Vide, quam artificiose totam hanc disputationem absoluat; arma scilicet iure sumpta esse pro patriæ salute.* AT. C. Decianus) *Orator, (vt ex præceptis Rhetoricis apparet) vtitur argumentis erutis ex locis, quæ sunt insita, vel remota: cum itaq; Labienus ad commouendos plebis animos in rostra attulisset Saturnini imaginem, Cicero ad labefactandum hoc factum, remoto argumento vtitur: præiudici vocatur hoc pacto C. Decianus, quod conquestus esset de Saturnini Morte; Sext. Titius, quòd habuerit imaginē L. Saturnini condemnati sunt, & tu, Labiene, qui domi Saturnini imaginem habes, condemnandus es.* NOTIS turpitudinis) *Metaphora, & auxesis à persona. Valerius Maximus libr. 8. hunc hominem inquinatissimæ vitæ vocat.* SEXT. Titius) *Hunc lege Agraria lata gratiosum fuisse apud populum, scribit idem Valerius lib. eodem.* STATVERVNT) *De industria interpretatur Cicero præiudicium hoc, quo magis Labienum vrgeat.* EIVS mortem honestaret) *Mors illius hone-*

honestatur, in cuius honorem, vel publicè statua, aut aliud aliquid erigitur, vel imago domi seruatur, ad posterorum animos excitandos. AVT suam significaret) *Rectè hoc: nam illorum memoriam colimus ad quorum imitationẽ nos totos effingere conamur.* ITAQVI mihi mirum) *Admiratio hæc Ciceronis non sine imprudentiæ nota ipsius Labieni est, vt qui sit veluti hostes in re Romana.* VNDE hanc tu Labiene) *Saturnini iamdiu interfecti imaginem protulerat. T. Labienus, vt eius memoriam refricando populo Romano misericordiam excitaret: notum illud Horatij in Arte poetica.*

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ,
Ipse sibi tradit spectator.

Aristoteles quoq; Rhetor secundo probat, Res acerbas, & quæ oculis subijciuntur, misericordiam magis mouere, quàm quæ adiuntur. AD eos scopulos) *Eleganti Allegoria, seu translatione, à nautis ducta irritat Labienum, eidemq; simul exprobat hoc factum, quo innuit, exemplo Sexti Titij ipsum quoque damnandum esse.* IMPRVDENTIA laberis) *Metaphora à corpore ad animum, eadem illustratur argumẽto à contrarijs.* AN non intelligis) *Alio nũc argumento defenditur Rabirius, sumpto ab auctoritate, virtute, integritate virorum, de Rep. bene meritorum, tum vita functorum, tum viuentium. Hoc autem probat, non posse Rabirium condemnari, quin condemnẽtur tot viri illustres, qui pro patriæ salute arma sumpserant: ac hoc iniustum, ergo & illud: imò Rabirium potius excusandum esse, quàm hos, vt cui aliquam periculi deprecationẽ ætas, quæ tunc erat,*

afferat. Hoc eodem argumento vsus est pro Milone. Non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnib. qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententijs esse pereundũ. huius præcepti, seu artificij meminit Arist. Rhetor. 2. vbi de Socrate, à Melito in iudicio vocato, loquitur. M. SCAVRVM) M. AEmilium principem Senatus, huius meminit Cicero in Oratione pro Murena his verbis. M. Aemilius Scaurus memoriam, prope intermortuam, sui generis virtute renouauit, Plutarchus etiã de fortuna populi Romani huius meminit. M. ANTONIVM) Meminit huius Cicero in oratione post reditum ad Quirites. De Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui secutus est M. Antonius, homo eloquentissimus cum A. Albino collega senatum, aut populum est cohortatus. Hic etiam summum ciuium studium, & vigilantia tuendæ Reip. in illo tumultu cernitur. DE tribus ærarijs) Doctissime de ijs scribit Carolus Sigonius lib. 2. cap. 8. de antiquo iure ciuium Romanorum, ostenditq́ue, quid à Quæstoribus differãt. L. FLACCVM) Amplificatio à personis consulum, quorum virtus hic à Cicerone commemoratur ad deterrendum Labienum, ad commonefaciendosq́ue Quirites, ne quid acerbius statuant de C Rabirio. C. MARIVM) Repetitio hæc pathetice prolata est ab ipso patrono Cicerone. QVOD excogitabitur) Fulcit idem ipsum argumentum Cicero loco, à minori ad maius. si supplicio afficiendus est, qui paruit, multo magis plectendus, qui imperauit. AC si fides) Conquerebatur Labienus, fide violata Saturninum interfectum fuisse: id nihil officere Rabirio posse, ostendit

dit Cicero, sed Mario, immò ne huic quidem, quippe quod fidem dare non potuerit Marius, nec quicquam polliceri Saturnino inscio Senatu. Illustratur tota hæc defensio Allegoria, & metaphoris. Scribit Appianus, Glauciam, & Apuleium Mario fretus deditionẽ fecisse, & post illum Saufeium. QVID iam ista. C. Mario) Obiectio hæc Labieni ab Epicureo accepta est, qui censebat vna cum corpore omnia deleri. Admonendum autem censeo lectorem, vt diligẽter hæc, quæ de gloria, & nominis immortalitate disputat Cicero conferat cum illis, quæ itidem sub finem Orationis pro Archia Poeta leguntur; vt hinc copiam variandæ sententiæ sibi comparare possit. Sanè valde inter se congruunt, & de industria addita videntur vtraq; Perorationi, ad animos auditorum inflammandos. QVAPROPTER equidem) Vehemẽtissima conclusio, verbis consonanticribus exornata; obtestatione fulta; qua animum suum erga viros fortes, vita functos, indicat, & patefacit: spectat autem eò, vt intelligant Quirites, nullomodo condemnandos esse. AT si pro illorum) A pari, & simili, vt illi pro salute patriæ arma sumpserunt: sic ego pro illorum laude eadem capiam. ETENIM quirites) A dissimili, vitæ curriculum exiguum est, at gloriæ immensum. QVARE si eos) Altera conclusio, vtilitatem futuram pollicens, eadem illustratur contrariis. VTINAM fecisset) Superius de hac quæstione loquẽs; Vtinam hanc mihi facultatem causa concederet. Illustratur hic locus argumento à minori ad maius, exornatur personarum conditione, de qua Vide Aristot. Ethic. 5.

ANALYSIS ETHICA.

I. *Quæ causa iustißima videtur ad aliquem defendendum, eadem ad absoluēdum iustißima debet videri.*

II. *Si est boni consulis, cum auxilia cuncta Reip. labefactari, conuelliq́ videt, ferre opē patriæ, succurrere, saluti, fortunisq́ communibus, implorare ciuium fidem, suam salutem posteriorē saluti communi ducere, est etiam bonorum, & fortium ciuium intercludere omnes seditionū vias. munire præsidia Reip. summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare.*

III. *Ope, & auxilio multo magis Iouis optimi maximi, quàm ratione hominum, & consilio gubernatur.*

IIII. *Miserrima est ignominia iudiciorum publicorum, misera mulctatio bonorum, miserum exilium: sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis, mors deniq́, si proponitur, in libertate moriamur.*

V. *In discordijs ciuilibus tria natura esse solent; aut esse cum malis, aut cum bonis, aut latere. latere mortis est instar turpißimæ, cum malis, furoris, & sceleris: honestas, & pudor cum bonis esse cogit.*

VI. *Tantis in Reip. periculis, laboribusq́ C. Marius non vixisset si nihil longius, quàm vitæ termini postulabant, spe, atq́ animo de se, & gloria sua cogitasset.*

VII. *Nemo in Reip. periculis cum laude, ac virtute*

versatur, quin spe posteritatis, fructuq; ducatur.

VIII. Cum multis aliis de causis virorum bonorum mentes diuinæ mihi, atq; æternæ videntur esse, tum maxime, quod optimi, & sapientissimi cuiusq; animus ita præsentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur.

IX. Exiguum nobis vitæ curriculum natura circu scripsit, immensum gloriæ.

X. Qui eos, qui iam de vita decesserunt, ornãt, iu stiorem sibi mortis conditionem relinquunt.

ANALYSIS POLYTICA.

I. Lex Fabia de seruis.

II. Lex Porcia de ciuibus: hæc eripuit libertatem ciuium lictori.

III. Laus non mea, sed maiorum nostrorum est, carnificem de foro, crucem de campo sustulisse.

IIII. Viri principes ciuium libertatem non acerbita te suppliciorum infestam, sed lenitate leg munitam esse velle debent.

V. Non est popularis ille, qui in concione carnifi quiq; vincula adhiberi puta oportere.

VI. Seruos nostros suppliciorum omnium metu minorum benignitas vna vindicta liberat.

VII. An interest inter eum, qui hominem occidit, eum, qui cũ telo occidendi hominis causa fu

VIII. Statutum fuit, improbum ciuem eum esse, non retinendum in ciuitate, qui hominis hos lem in modum seditiosi imagine, aut mort ius honestaret, aut desideria imperitorum mi sericordia commoueret.

IX. Turpe est, si quis sit hospes suæ ciuitatis, & igna rus disciplinæ, consuetudinisq; ciuilis.

In eorum gratiam, qui vetustis monumentis delectantur, placuit huc afferre testimonium lapidis, Arimini eruti: in quo C. Mary praeclare gesta leguntur: mentioq; praecipuè sit huius facti, ex quo Rabirianae orationis argumentum pendere videtur.

C, MARIVS COS. VII. TRIB. PLEB. Q. AVG. TRIBVNVS MIL. EXTRA SORTEM BELLVM CVM IVGVRTHA REGE NVMIDIAE GESSIT. EVM COEPIT, TRIVMPHANS IN SECVNDO CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT. TERTIVM COS. ABSENS CREATVS EST. IIII. COS TEVTONORVM DELEVIT EXERCITVM. V. COS. CIMBROS FVDIT. EX ILLIS ET TEVTONIS ITERVM TRIVMPHANS. REMP. TVRBATAM SEDITIONIBVS TRIB. PLEB. ET PRAETOR. V. QVI ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT VI COS. VINDICAVIT. POST LXX. ANNVM PATRIA PER ARMA CIVILIA PVLSVS, ARMIS RESTITVTVS EST. VII. COS. FACTVS EST. DE MANVBIIS CIMBRIS ET TEVTONICIS AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PATRICIIS.

DE ORATORIS OFFICIO ET DE QVINQVE RHETORICAE PARTIBVS DISPVTATIO.



VEMADMODVM *Laus atque vituperatio ex ijs actionibus emanant, quæ nostra sunt propriæ, ex quo non aliquis laudatur, quod diuitijs affluat, roboreue præstet, neque, quòd quis egenus, imbecillisue sit, vituperatur, cum diuitiæ, vires itidem fortunæ, naturæque potius acceptæ referendæ sint, quàm nobis ipsis adscribendæ, ita Orator si persuadet, vel non persuadet, non semper tamen laude, aut vituperatione dignus est existimandus: nam eueniet, vt non persuadeat, cum tamen optimus sit Orator : perinde ac esse potest Nauarchus peritus, qui naufragium faciat: duxque egregius, qui victoria cadat: cum scilicet in ijs, quæ eueniunt, plus virium inesse possit, quàm in Nauarchi arte, aut in ducis disciplina. Oratoris igitur officium est, ita dicere, vt persuadere possit: sicque bene dixerit, hoc ipso sit contentus, tametsi eius orationi non semper iudex assentiri videatur. Existimo autem benedicere, & persuadere formam quandam, & similitudinem honestatis, & dignitatis habere: quemadmodum enim post honestum non statim consequitur dignitas, illud tamen laudatur, quod eius finis non in ipsa dignitate constitutus sit, sed in animæ intellectiuæ perfectione, ita*

non

non ſemper, quoties orator eloquens dicit, perſuadet, hic tamen, quia ad finem, ſibi propoſitum, peruenit, in quo artis perfectio verſatur, laude digniſsimus eſt habendus. Si, in quod artifex intendit, id ſemper arte aſſequeretur, vtilis ſemper medicina eſſet, quæ tamen perſæpe inutilis cernitur, ægrotantis culpa: nunquam tamen hæc obeſt, ſi ea peritus medicus vtatur: pari quoque ratione Rhetoricæ ars non ſemper palmam oratori affert, cum ipſa interdum ea cauſa, quam agit, longe ſit inferior, efficere tamen poteſt, vt is, qui dicit commereat nihil cuius cauſa ſit exſibilandus. Quapropter & amplectenda eſt, non modo, quòd perſæpe ſit vtilis, ſed etiam, quia nihil vnquam damni affert. Quanquam autem, quod ad ipſam attinet, errare nunquam poteſt (ſi enim erraret, ars neutiquam eſſet) attamen eò maiorem vtilitatem afferet, quo capacitas, vbertaſque ingenij illius præſtantior extiterit, in quod iacta fuerit, & ſeminata. Nam, ſicut Ars fluxit à natura, ita ab illa ali, & adiuuari cupit: & quo magis illius auxilio deſtituetur, eò imbecillior extiterit, inſtar teneræ plantæ, cui ſi naturalis humor deſit, perfacilè areſcit. Itaque cum minus vtriuſque particeps Orator eſſe poſſit, optandum ſanè eſt, vt arte potius careat, natura vero excellat, quam contra, huc langueat, illa vero plurimum poheat: rationi ſiquidem conſentaneum eſſe videtur, vt quibus rebus periculum commune imminere cernitur, in ijs dignioris ratio habeatur. Porro naturam arte nobiliorem eſſe, hinc colligitur, quod artis mater eſt, vtq; mater filiæ iure eſt anteferenda. Quod ſi ad perfectam artem natura quoque perfecta acceſſerit, longe illuſtrior vtriuſ-

que virtus, excellentiaqúe apparebit: vti fertile solum plus fructus affert, si à bene perito, diligentiqúe agricola excolatur. Etenim neque Appelles alterius pictoris penicillo, & coloribus scitè adeo effingere potuisset pulcherrimam illam Venerem, quæ in sui ipsius admirationem cunctam Graciam traxit: neque Appellis penicello, & coloribus alius pictor eandem Venerem pinxisset. Nimirum est neceße, vt quæ partes ad totius perfectionem tendunt, harum vnaquæque, quantum ad ipsam attinet, sit perfecta: nec sine lapidum delectu firmitudinis habebit satis, quicquid ab Architecto, licet perito, ædificabitur: nec egregius miles, dimicans sine armorum præstantia victoriam referet: nec in aere caliginoso lux ignis apparebit; tametsi suapte natura ignis & splendens, & lucidus sit: ex quo consequitur, vt naturæ ars adhæreat: quod si ita erit, artifex alteri largietur, quod ab altera eripiet: Cæterum ambas exercitatione adaugebit, eò vsque eas adducens, quoad propius ad perfectionem accesserint, aut saltem recedant ab illis Vitijs, quibus ipsarum ieiunitas dignoscitur. Tribus his partibus vtetur in tractandis tribus generibus, ijsdemque tribus modis. Partes sunt hæ: Natura, Ars, Exercitatio Genera sunt: Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale: Modi: vt doceat, delectat, & flectat. In quolibet horum generum partes adprime necessariæ sunt: Genera interdum separatim tractantur, interdum simul admiscentur, eademque in causa: vt cum parricidia, de Republica bene meritus, defenditur: cum enim tunc genus causæ proprium Iudiciale sit, cogitur tamen

Ora-

Orator confugere ad demonstratiuum, & quantum potest, reum, laudibus ornare, ob ea, quæ pro patria gesserit. Hæc cum præstiterit ad Deliberatiuum se totum conuertet. Hic vero disputat, an intersiciendus sit parricida, patriæ vtilis: qui vero statum causæ attingere, intelliget, valde fini, sibi proposito, aduersari, per illa duo genera vagatur: vtque sagax miles, non eam partem detegit, in qua ipse lædi potest: verum se ea corporis parte offert hosti. qua tutior, & armis plane obtectus est. Quod ad modos attinet, quanquam tres omnes valde necessarij sunt, attamen, quia Orator, vt Iudicis animum flectat, sibi proposuit, & quò velit eum trahat, docere, & delectare non tanti faciendum, quā flectere videtur, ad quod, veluti media ad finem, diriguntur. Illud quidem constat, Docere, & flectere, non valde esse seiunctum: Orator enim, qui docet, Iudici causæ cognitionem affert; omnis autem cognitio animi est motus: pari quoq; ratione, cum mouemus, vtcunq; docere videmur: neq; enim orator mouere poterit, nisi patefecerit, ecquid laudis, aut vituperationis, vtilitatis, aut damni inde sit consecuturum: atq; hac ratione vno, eodemq; tempore docet. Aptiorem tamen ad persuadendum atque accommodatiorem eum videas, qui multum flectit, parumq́ue docet, quàm eum, qui cum multa doceat, parum flectit. Quocirca in Ctesiphontis causa AEschines, qui docebat, à Demosthene, qui mouebat, superatus est. Vt igitur delectare minus est, quàm docere, ita docere, quàm mouere minus quiddam est. Licet autem ex hisce tribus modis docere, Iustitiam, vbi fundamentum,

propositam sibi habet, qua leges nituntur, non est tamen, quod existimemus, hac sola Oratorem ad optatum finem peruenire posse, etenim si mouere, & docere inter se opponerem, simul efficerem, tamquam inter se contraria, contrarios fines vt intuerentur: vtque sicuti docere propositam iustitiam habet, ita mouere Iniustitiam tueretur, quod cum ita esset, omnium iniustißimus habendus essem, si, Iniustitiam Iustitiæ præferendam esse, censerem. Verum quam ego comparationem facio, ea non est inter contraria immo vero inter similia, vt inter harum formam nullam interdum dißimilitudinem dignoscas: vt enim Docendi proprium est Iustitia, ita Mouendi Aequitas, quæ ambæ virtutes sunt: eædemque persæpe inter se adeo coniunctæ, vt eas Orator arte nequeat disiungere: quin potius: quo acrius vnam tuetur, eo magis fouet alteram. Natura itaque hæc similia, & coniuncta sunt, euentis tamen diuersa: & disiunctæ: firma siquidem & stabilis est Iustitia, neque vnquam à lege dissentit: at Aequitas persæpe vagatur, atque vna cum cogitatione in diuersas partes trahitur, cõmunem sensum amplectens, vt eum, qui legem superet, & qui instar veritatis luminis maioris lumine illustretur; nempe à diuina iustitia, cui Iustitia humana, legibus comprehensa, quacunque ratione cogitur cedere. Erit itaque quandoq; Iustitia sine æquitate, at sine Iustitia videas nunquam æquitatẽ: quod perinde se habet, ac si dicas, alteram non semper laudabilem esse, alteram vero nulla vnquam ignominia notatam: etenim Iustitiæ perfectio, & absolutio in eo sita est, vt legibus obedias: æquitatis autem, vt rationi obtemperes: ratio peccat numquam

etenim

etenim, quod ratio est, vtique semper est iusta: lex vero errare potest; tum quòd, qui eam sanxit, nō verè iustus erat, aut si fuit, temporū cōditio humanas res euertit, ciuilisque vitæ rationē cōmutat; quodque olim iustum fuit, iniustū efficit, & contra. Sum ego in hac sententia, vt existimem, oratoris laudem magna ex parte in hoc sitam esse, vt moueat: quemadmodum vero vigor, sensusq; non satis est, vt animal omnibus numeris absolutum sit, sed ratio etiam exigitur; ita vt perfectus sit orator, non est satis, vt delectet, & doceat, sed vt moueat adprime necessariū est: & veluti, vbi ratio deprehenditur, ibi etiam sit vigor, & sensus est necesse, quippe quod natura ita postulat, vt quod minus excellens est, excellentius sequatur, ita quicumq; Orator Iudicis animum flectere poterit, idem etiam, ad docendum, & ad delectādum erit aptus: cum enim ad mouendum ingenio, & & prudentia sit opus, altera vt argumenta inueniamus, altera vero vt inuenta ordine disponamus, sicuti duabus hisce partibus iunctis mouemus, ita ijsdē non solum iunctis, sed & seiunctis delectamus, & docemus: cum delectare ingenio satis possimus, & prudentia docere. Quamobrem si Orator, & natura, & arte, quæ exercitatione perfectæ fiunt, talis erit, vt mouere norit, moueatq; cum dicit, mouendi hac scientia officio fungetur suo: mouēdo verò, propositum sibi finem assequetur. Officium nunquam aberrat, cū Ars perfecta est; at finis fallax, aut iudicis inscitia, aut aliqua animi perturbatione, aut quod causa, ab Oratore suscepta, sit huiusmodi, vt in ea ars quicquam proficere nequeat: perinde accidit interdum, cum bene exercitatus sagittarius scopum, sibi propo

situm, non attingit: non quia sagitta minus recta sit aut non certus oculus, quo collimauit: sed quia aura deflectitur, & digreditur ab illa linea, ad quam oculorum obtutu ducebatur. Quamobrem concludendum est, officium, atque etiam Oratoris laudem, non in eo sitam esse, vt, quam agit, causam obtineat: sed cum eam ita agit, vt sui ipsius culpa non eadē cadat; vt autem culpa hac careat, id est, vt mouendi scientiam probe teneat. in qua continetur, & inuentio, & dispositio, quamquam de ea plurima præcepta literarum monumentis sunt prodita, mihi tamen, non ea satis esse videntur, quæ tum veteres, tum recentiores scriptis mandarunt. Nam vniuersalia quædam scriptores nonnulli tradiderunt, quæ magna ex parte homini, vel mediocri ingenio prædito, absque alio lumine patere possunt: alij vero acutiori ingenio, maioriq́ue doctrina exculti, ea quidem dixerunt & docuerūt, quæ tum vtilia, tum pulchra licet sint habenda, artem tamen exemplis neutiquam illustrarunt: quod mea quidem sententia, tam necessarium est, quàm ad dijudicandam picturam lumine est opus Vera hæc esset via, qua perfacile ad eloquentiæ laudem perduceremur, si ex ijs, quæ à Demosthene, & Cicerone dicuntur, conficiatur Rhetorica: & ea, quæ ab his duobus absolutissimis Oratoribus scribuntur, in artem redigantur: eaque ars ad pauciora capita referatur. Hæc enim absoluta ars esset, quæ perfectissima natura exemplis comprobaretur: cum Idea nulla excellens esse possit, nisi ea, vnde ea ipsa oritur, sint perfecta. Sed quis hæc præstiterit? Quis de horum præstantissimorum excellentia ingeniorum ferre iudicium poterit? quis ea inter se conferre? quis ostendet,

det,

det, in quibus alter ab altero non dissentit, in quibus dissentit, in quibus penitus sint contrarij. Quis rationibus probare poterit, cur alter secus sentiat, vel etiam alteri aduersetur: neuter tamen peccet, vterque vero mire excellat? Hoc vero si arduum, difficileque est, vt certe est, quanto difficilius erit, horum exemplis alia instituere exempla: quæ doctrinæ horumque elegantiæ respondeant? atque ex ijs, quæ in dies euenire videmus, antiquæ eloquentiæ lumen affingere? Rhetor, nolim, mihi vt ostendat, vbi sit Narratio, vbi Diuisio, vbi Confirmatio, non hæc ea sunt semina, vnde perfecta eloquentia potest oriri. Obsonium hoc omnibus est commune, quodque vulgares homines potest explere: longe delicatiorem, longeque suauiorem cibum appetere videntur ingenia præstantiora, quæ illa mediocritate contenta non sunt, neq; vulgi actiones sibi proponunt, sed ad immortalitatis apicem aspirant. Quocirca huiusmodi ingenijs proponi vellem Rhetoricam aliquam ab his, quæ leguntur, diuersam: qui vero eam scripturus sit, duas huic Ideas propositas esse optarim ego: alteram imperfectam, alteram vero perfectam atque imperfecta ea mihi detegat, in quibus errauero: perfecta vero antiquorum exactam, absolutamque doctrinam patefaciet, duorum nẽpe illorum qui inter antiquos excelluerunt. atque hac ratione mihi duo loquendi genera proponendo, alterum prauũ, ab ipso excogitatum, ex corrupto genere dicendi oratorum recentiorum; alterum optimũ, ex antiquorum oratorum scriptis desumptum: corrupto, prauoq; illo me docebit, qua in re peccem: altero præscribet mihi regulam normamq; aliquã, qua

bene

bene dicere poßim. Quantum vero, Dij boni, & ex hac comparatione luminis orietur; quod ostendet nobis, quæ nunc maxima existimamus, ea perexigua esse? Verum quod huiusmodi Rhetorem, qui suis scriptis nos erudiat, non facile inueniri posse, existimem. præclare nobiscum agetur, si hisce præceptis, quæ hactenus de hac dicendi arte literis sunt prodita, appropinquare ne dum peruenire poterimus ad Demosthenis vim, qui oratione sua fulgurare, & tonare videbatur: atq; etiam ad eam Ciceronis, qui dicendo tantum valuit, vt aliquando populo Romano persuaserit, eas leges abrogandas esse, quæ ipsi vtilitatem magnam afferebant. Istud ipsum præstare nos poterimus, si tantum sciremus, tantum autem didicerimus, si dicendi viam doceamur. Concludam, Rhetoris perfecti disciplina perfectos multos oratores posse oriri, vt ex sigillo multas formas: at rethorem perfectum neutiquam esse posse, nisi prius oratione, suisqúe scriptis perfectus dignoscatur orator: nam, docere rationes, proprium est Rhetoris, rationes vero exemplis illustrare, magis ad Oratorem, quàm ad Rhetorè spectat. Quamquam autem ratio magis, quam exemplũ necessaria est, ipsaq; sua vi nobis multum prodest, at tamen, quod sæpe, quid ea sibi velit, nobis est, obscurum, profuerit magis, si, vti exigit neceßitas, exemplis illustrabitur; quæ, speculi instar, artis figuram nobis referunt.

DE

DE QVINQVE ORATIONIS PARTIBVS.

SI omnes homines æque scientes, & æque probi essent, Rhetorica neutiquam esset opus: nam scientiæ adminiculo ab omnibus dignosceretur Iustitia; & probitatis auxilio eandem amaremus omnes. Rhetorica tum probis, tum prauis hominibus inuenta est: ab illis scilicet, qui veritatem tuebãtur, & à quibus eadẽ oppugnabatur. Veritatis defensor certus erat, causam iustam esse, at ad eandem obtinendam, non hoc illi satis erat. Operæprecium fuit, vt à iudice iusta dignosceretur: quòd vt assequeretur, scientia opus erat, quæ, vt dixi, non eadem in omnibus cernitur: in omnibus enim si eadem esset, quilibet iudex, & verum & falsum dignosceret; atque hac ratione Oratoris ars inutilis prorsus esset, atque superuacanea. Sed iustus Orator, is scilicet, qui iustum tuebatur, cum intelligeret, se æquioribus rationibus pugnare, vereretur tamen, vt iudex inscitia aliqua earumdem capax non esset, simplici oratione contentus non fuit, sed ad artem confugit, priusq; Dispositionem excogitauit: prius dicam, nam in causa iusta non multum de Inuentione laborauit, cum, ea satis esse, existimaret, quæ in controuersia versabantur. Totus in Dispositione fuit: Narratio siquidem confusa non docet; quod cum minime facit, vtique mouere nequit; atque ita inanis prorsus est. Ordo ille est qui delectat: cogitur homo suapte natura ordinem

ama-

amare: homo siquidem ipse nihil aliud est, quā ordo: mens nostra ordo est quidam, si eam rectè perpendere velimus: Ordo est corpus hoc, quod menti obedit, si figuræ proportionem consideremus. Quod igitur ordinem homo amet, non mirum est: nam ipse totus est ordo, quem cum amat, sui ipsius similitudinem amat Hominem vero ordinem esse, id quoque minus est mirandum, cum ab artifice, non confuso, sit effictus, sed qui ordine adeo gaudeat, vt ab ipso, tanquam à prima idea omnes ordines fluxerint. Creauit Deus hominem, vti etiam mundum: quemadmodum vero prius mira quadam temperatione mundum creauerat, ita deinde seruato eodem ordine creauit hominem, vt homo mundum, mundus hominem, vterque vero ipsum Deum referret. Redeo ad superiora. Dico igitur, cum Orator existimaret, ob diuersa hominum ingenia artem esse necessariam, eam excogitauit partem, qua homo delectabatur magis: inuenit autem dispositionem: hanc autem fortasse non inuenisset, nisi quòd Mundi forma penitus perspecta, in eo illam adamauit: atque etiam considerata hominis forma, in se ipso eandem vidit. Id opus cum excogitasset, ad maiora contendit: nec contententus, iudici vt explorata esset veritas, dedit operam, vt cum voluptate eandem cognosceret: atque ita Elocutionem inuenit, quæ fortasse non minus ordinem adiuuat, quam ordo Inuentioni auxiliatur: poterat enim Ordo, si longior esset, iudicis animum defatigare: at Elocutio exculta, perpolitaqúe illum reficit, & noua quadam voluptate vlterius semper eum adducit: ita vt harmonia hac delinitus, non modo non expleatur, sed magis ac magis desiderio illius de-

detineatur. Visum autem eidem Oratori deinde est neque rectè ordinari posse inuentionem, nec ordinem exornari posse absque memoria beneficio. Quanquam autem beneficium hoc naturale est, quia tamen non idem in quouis cernitur, sed eo alius aliis excellit, animum induxit, vt artem excogitaret, qua ipse huic vitio mederetur; atque artificiosam memoriam reperit, qua loca quædam intuens mens nostra, ac si monita esset, quod præterierat, reuocaret: atque huiusmodi exercitatione paullatim ea cõseruaret quæ meditando inuenerat: quippe, quod ad ea, quæ volumus conficienda, vsus aptiores nos reddat. Sequitur Pronunciatio. Quid de hac dicemus? dicemus, vnumquodque animal sibi simile appetere: ex quo si in planitie aliqua brutorum multæ essent species, exempli gratia, multi lupi, cerui, equi, videres, amore actos naturali, lupos cum lupis, equos cũ equis, ceruos cum ceruis versari: eodem amore impellitur homo erga sibi similes. Natura nos primum ipsos amamus; generatim deinde omnes homines: cum se ipsum amat homo, proprietatem amat, cum cæteros homines similitudinem. Hic aliquis ex me quærat, qui fiat, vt non æque omnes homines amemus: sed impari amore alium magis, alium vero minus: respondeo; hoc cognitu non admodum difficile esse: quilibet se ipsum amat, qui vero se ipsum amat, causam etiam amat, à qua ortum ducit: homo à Deo trahit originem, Deum itaque amat homo. Deus absoluta est pulchritudo, amat itaq; pulchritudinem homo. hanc vero non in vno Deo amat sed in quouis eam agnouerit: quia vero pulchritudo in omnibus hominibus eadem non est, cõsequitur, vt

amor

amor noster erga omnes homines idem non sit. Inspi ce multos homines, quibus cum tibi intercedat amicitia nulla, nulla necessitudo, aut tale quidpiam, omnes amabis, quod ex tua specie sint experieris tamen animum tuum occulta vi quadam tacitum rapi ad illum diligendum magis, cui plus venustatis inerit. Venustatem hanc tum naturalem, tum artificiosam diligimus: artificium non efficere tantum potest, quãtum natura, plurimum tamen potest; & contra; nulla vnquam negligentia, aut incuria naturæ lumen potest extingui, aliqua tamen ex parte illud inobscurobitur. Orator, cui propositum est, vt oculis, & aurib. inseruiat iudicis, quia non ignorat, hos duos sensus voluptatem animo afferre, pulchritudinem hanc artificio, & diligentia inuestigat: quia vero nouit, pulchritudinem ipsam nihil aliud esse, quàm ex variis rebus rectum quoddam compositum, studet, quantũ potest, vt componat, & simul concinnat vocem, faciem, & corpus, atque harum trium partium consensione vtatur, pro vt causa ipsa exigit. Concinnitas hæc, & elegantia à nonnullis Rhetoribus Pronuntiatio; à nonnullis Actio dicitur, & inter quinque Oratorias partes ordine postremum locum, sed sua dignitate primum fortasse obtinet. Immo affirmare possumus, primam esse, ne scilicet Demosthenes sententia in dubium reuocetur, qui interrogatus, quid primũ in Oratore esset, Actio respondit; quid secundum, Actio, quid tertium Actio: ac si inferre vellet, eam reginam esse, cæteras alias ancillas. Hæc sunt, quæ de Oratore iusto: nunc de iniusto dicamus. Vterque arte vtitur, diuerso tamen fine. Iustus ea vtitur, vt Iudici lumen afferat, Iniustus, eidem illud vt adimat;

que

atq; iniustus ingenij tanta vtitur dexteritate, vt verũ oppugnet, quanta Iustus, vt id tueatur. Iust' de iudicis inscitia dubitat, idcirco eum studet docere, iniustus illius probitatem timet. Quamobrem decipere conatur: alteri placet, vera pro veris haberi, & vt, quæ sint, innotescant; alteri vero, falsa ita dissimulari, vt quæ minime sint, ea tamen esse videantur. & hæc causa sunt, cur iustus Orator de Inuentione parum sit sollicitus: iniustus vero maiori studio, diligentiaq; in hanc incumbit, quàm in cæteras partes. Oratori Iusto ex ipsa causa patuit inuentio, in eaq; persistit: iniustus cum ea destitueretur, vt eam inueniret, aliò se contulit. Hi duo fuerunt Rhetoricæ inuentores, quæ tum multorum bonorum; tum etiam malorum instrumentum esse potest. quod enim ex duabus diuersis causis fluxerit, duo etiam, inter se diuersa, constituere potest. Illud quidem fatendum est, eam eò aptiorem esse ad afferendam vtilitatem, quàm damnũ quo facilius est verum, quam falsum iudicare: nam veritatis substantia seipsam quasi prodit, at mendacij imago ab externis oritur: ex quo cum euenit, vt verum cum falso pugnet, certamen est impar: etenim verum suo ipsius robore præstat, & sua vi vtitur; at falsum quia natura imbecillum sit, cum viribus diffidat suis, aliunde auxilium petit, & artis obtectum armis stat contra naturam, à qua tamen nullo negotio vincitur, eoq; facilius, quò falsum sola arte, seipsum tuetur; verum autem, & arte, & natura cum, vt initio dixi, Rhetorica æque communis sit Oratori iusto, ac iniusto.

FINIS.

ARGVMENTVM.



ACILLIVS fortasse perspici posset, quonam fuerit ingenio L. Sylla, si ea hic potissimum commemorentur, quæ inter ipsum, & C. Marium sunt gesta. Sed cum ex Appiano, Plutarcho, & Epitoma 67. videri possit, quando primum Rempubl. occuparit ille, breuitati studentes, ea omittemus. Hoc vero silentio nõ inuoluẽdum arbitramur, cum anno DCLXXI. C. Marium Præneste, Carbonem autem in Sicilia interfecisset, pulcherrimamq; victoriam hanc octo millibus deditorum, in via publica trucidatis, inquinasset, tunc facile Romanos potuisse conijcere, quid ab ipso deinde esset expectandum: quod non multo post indicare cœpit: nam L. Valerio Flacco ad populum ferente L. ipse Sylla Dictator est creatus: qui etiam, vt auctor est Appianus, & Velleius victo Mario, fœlix voluit vocari. Ab hoc igitur anno vsque ad DCLXXV. cum seruitute acerbissima populum R. vexasset, inauditoque scelere adhuc Rempublicam exerceret, neque vero, quem finem res habitura esset, satis intelligi posset, M. AEmilius Lepidus, homo in primis audax. & Syllæ inimicus, qui hoc anno cum Q. Catulo consul erat, vocato ad concionem populo, acriter inuectus est in Syllam hac oratione, qua populum excitare conatus est ad suscipienda arma contra Syllam, tyrannidem exercentem.

DE GENERE ET STATV ORATIONIS.

SCRIBIT Aristoteles Rhetoric. 3. in Deliberatiuo genere versari magis arduum esse, quàm iudicia tractare: propterea quod illic de rebus futuris agatur, in iudiciali vero de præteritis: cum autem futura nullo modo sciri possint, præteritorum vero aliqua sit scientia, nemo non videt, Deliberatiuum Iudiciali genere diffi-

difficilius esse: quod vt ei, qui in hoc genere versatu-rus sit, negotium facessere potest, ita etiam, qui huiusmodi orationes sit expositurus, idem arduum esse fortasse experietur. Sed quanquam hoc ita se habet, vt tamen suscepto muneri satisfacerem, ex hoc genere hāc mihi orationem selegi, pro viribusq; dabo operam, vt huius artificium ad præcepta accommodem. Quam obrem, vt de genere orationis aliquid dicam, memoria repetendum est, quod cap.4.libr.1. Soarius scribit: scilicet quæstionē, q̄ ab oratore tractatur, ad tria causarum genera referri. Cum vero hic de suadendo bello agatur, resq; futurum tempus cum vtilitate proposita spectet, moueatq; affectus spe, & reformidatione, orationem deliberatiui generis esse, in confesso est. De statu autem hoc affirmare possumus, quatenus huius orationis argumentationes honestatem, & necessitatem spectent, negotialem esse statum, qui Hermogenis sententia est, cum de re futura disputatio est: an scilicet, oporteat aliquid facere, vel non facere: quatenus autem facilitatis ratio in medium ab oratore affertur, esse coniecturalem, atq; duos status habere orationem hanc videre est.

DE PARTIBVS ORATIONIS.

QVOD neminem lateat, oratori maxime videndum esse, quid dicat, quo quidque loco dicat, & quomodo dicat, vt quæ tria Rhetoricæ præcipuas partes constituant, quemadmodum cap.7.libr.1.Soarij annotatum est, superest vt de Dispositione aliquid agamus: quæ in hac oratione huiusmodi est, vt cum ex orationis partibus aliæ ad impellendos animos, aliæ ad rem docendam valeant, tres hic cernantur, Exordium, Confirmatio, mixta confutationi, & Peroratio. Narrationem in Deliberatiuo genere omitti, patet ex cap.9. lib. 2.Soarij. Quòd si vlla hic est, ea adhibita est, quæ crudelitatem Syllæ contineat; vt hanc in memoriam redigentes senatores, melius de futuris consultare possint, quod fieri debere docet Arist, Rhet.3

D EEXORDIO.

DOCET Aristoteles Rhetoric, 3. Hoc genus minime proemijs indigere, & hanc causam reddit: nam inquit, quod est proemij primũ munus, vt breuiter ostendatur, qua de re sit sermo habendus, hic minime necessarium est, hoc enim auditoribus iam est notum. Idem à Soario præcipitur cap. 7. lib. 2. In deliberatiuo vero sæpe exordia nulla, vel breuia esse debent. quod cũ ita sit, ne quis existimet, vitiosè factum à Sallustio, qui in hac Deliberatiui generis oratione exordio sit vsus, referam, quod à Quintiliano scriptis est relictum; Pars deliberatiua, proœmio, quale est in iudicialibus. non vbiq; eget, quia conciliatus est ei quisq;, quē consulit: initium tamen quodcunq; debet habere aliquam proemij speciem: nec enim abruptè, nec vndè libuit, incipiendum; quia est aliquid in omni materia naturaliter primum: quibus ex verbis satis clare perspici potest in hac causa deliberatiua adhibendum fuisse id exordij, quod dicenti maiorem etiam beneuolentiam conciliare posset: prudenterq; initio oratorem hanc sibi proposuisse, qua facilius auditorum animos præparare posset, nam suapte natura quisq; lætatur, dum audit, ab oratore se commemoratione alicuius virtutis sibi insitæ detineri.

DE CONFIRMATIONE.

CAPITE 10. lib, 2. ex Ciceronis sententia, quæ secundo de oratore legitur, docuit Soarius, in confirmatione suggerenda esse firmamenta causæ coniuncta, & infirmandis contrarijs, & nostris confirmandis: Quare hic Lepidus, cùm primum inuectus fuerit & in Syllam & in eius Satellites, hortabitur statim Quirites, vt & obuiam eant ipsi Syllæ, & vt maturēt, additis harum rerũ rationibus, de quibus suo loco agemus: subinde refutabit quædam, sibi à Sylla obiecta.

DE PERORATIONE.

IN Peroratione adeo dat operam, vt populi Romani animos inflectat, vt commemoratione superiorum argumentorum, & turpitudinem & damnum illis ob oculos ponat: ad quæ arcenda; libertatem vero recuperandàm, illis se ducem pollicetur, & defert.

DE ELOCVTIONE.

DELIBERATIVI generis elocutionem non nimis exquisitam, ac minutam esse debere docebat Aristoteles Rherori corum 3. eamq; vmbratili picturæ similem esse, dicebat, in qua, quanto maior fuerit eorum, quæ depicta sunt turba, tanto longius spectatur: Id autem valet, ac si diceret: cum hoc genus imperitæ multitudini accommodandum sit, eius elocutio grandior, & consonantior esse debēt, vt quæ ad vulgarem sensum facilius accommodetur, quamsi exquisita, & minuta erit. Idem tamen Aristoteles cum duplicem orationem constituisset, docuit eam, quæ ἀγωνιστική vocatur, & deliberationes, atque iudicia continere. Itaque si quis in huius orationis elocutionem propius intueatur, eam à Quintiliani sententia non abhorrere facile intelliget, qui non minorem in deliberatiuo, quā in iudiciali vim eloquentiæ esse iudicabat: hæc quidē, mea opinione grauis, & ampla est.

M. AEMILII LEPIDI COS. AD populum R. Oratio.

MVLTVM referre, quæ sit persona dicentis, scribit Soarius cap. 60. libri primi; atque etiam consilium de Republica dandum, caput esse, noscere ciuitatis mores, & eos, ad quos dicimus. quod idem sentit Aristoteles Rhetori. 1. quem deinde secutus Quintilianus scribit. Plurimum refert, qui sint audientium mores, quæ publicè recepta persuasio, vt illa maxime quæ probant in eo esse, qui laudabitur, credant: aut in eo contra

quem dicimus, ea, quæ oderunt. Quare vt huic orationi aliquid luminis afferatur, videndum attentius, quænam fuerit persona dicentis M. Lepidi, & illius, ad quem dicitur, populi Rom. De M. Lepidi persona, præterquam quod, vt consulis, plurimum huius oratio excitare audientes poterat, addebatur etiam, quod & Syllæ inimicissimus esset, & ferocissimi ingenij, vt Plutarchus in Sylla refert; ita vt in eum male animatus Syllæ conatibus resistere semper sit ausus: quod non maxima cum difficultate se assecutum existimabat. Cum enim in consulatu, quem Pompeio magno adiuuante se fuerat adeptus, moreretur Sylla, statim legem, de Actis Syllæ rescindendis promulgauit: cui aduersan- Q. Catulo eius Collega, bellum est excitatum. Persona vero auditoris erat Populus. R. ad quem cum diceret, præcipuè popularis naturæ rationem habuit. vt fecisse itidem videtur Cicero Philippica quarta. Cum vero huius generis finis sit vtilitas, & honestas obseruandum est, plurimas huius orationis argumentationes hæc duo spectare, vt apertissime patet in breui repetitione illa, quæ extat in Peroratione. M. AEMILII LEPIDI) AEmiliam gentem à Mamerco, Numæ regis filio, deducit Plutarchus in Paulo. Et ex AEmilijs alios fuisse Mamercinos à Mamerco, alios Lepidos à sermonis lepore, alios Paulos, à pusillo corpore nominatos, Barbulos, Papios, Scauros alios scribit is; qui dudum librum de familijs Romanorum edidit Ricardus Streinius.

ORA-

ORATIO.

LEMENTIA, & probitas veſtra, Quirites quibus per cæteras gentes maximi,&clari eſtis,plurimum timoris mihi faciunt,aduerſus tyrannidem L. Syllæ, ne aut, ipſi nefanda quæ non æſtimatis, ea parum credendo de alijs, circumueniamini : præſertim cum illi ſpes omnis in ſcelere,atq; perfidia ſit: : neque ſe aliter tutum putet, quàm ſi peior, atque inteſtabilior metu veſtro fuerit, quo captiuis libertatis curam miſeria eximat, aut ſi prouideritis, in tutandis periculis,quàm vlciſcendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis , non minus optimis maiorum exemplis, nequeo ſatis mirari : dominationis in vos ſeruitium ſuum mercedem dant , & vtrunque per iniuriam malunt, quàm optimo iure liberi agere. præclara Brutorum,atq; AEmiliorum, & Lutatiorum proles,geniti ad ea , quæ maiores virtute pepere-re,ſubuertenda.

EXPLANATIO.

CLEMENTIA,& probitas) *Præter ea , quæ ſuperius de exordio iam commemorauimus, lubet alia quædam ex Ariſtotele addere,quibus clarius eluceat , exordium non temere in hac oratione poſitum fuiſſe. Sic igitur ille Rhetoric.1. Perſona interdum aduerſarij Proemia poſcit in Genere deliberatiuo:*

cum crimina in illum inferenda sunt. tuncq́; si id, de quo agitur minus quàm ratio nostra postulat, videbitur illud amplificare oportebit: & libro tertio docet, Oratoris causa interdum in hoc genere adhibendum esse exordium, vt intelligenter, vt attente audiatur, & à iudiciali genere sumi, quod quam studiose, diligenterq́; fiat in hoc exordio à Lepido, nemo nò videt. CLEMENTIA ET PROBITAS) *Docetur cap. 2. libr. 2. apud Soarium, comparandos esse auditorum animos in exordio: idq́; fieri beneuolentia, attentione, & docilitate: quam vero perbelle hic beneuolentiam sibi conciliat, videre est: Cum enim hæc à personis ducatur, non vna contentus, & à sua, & aduersarij Syllæ persona illam sibi aucupatur: ab auditorum, cum illos clementes, probosque appellet: à sua, cum se adeo suauiter effusum in patriam ostendat, vt illius causa plurimum timere cogatur: ab Aduersarij, cum scelus, tyrannidem, illiusque crudelitatem exponat.* CLEMENTIA & probitas) *Oratorie duas res populo Rom. insitas extollit, quæ alioqui vituperari potuissent: quod enim diutius pateretur populus Romanus Syllæ improbitatem, iam non clementia, sed animi lentitudo quadam poterat existimari: Est autem clementia animi temperātia in potestate vlciscendi: probitas autem videtur posse accipi pro ingenij simplicitate, quo verbo tacitè innuit, illos facilè decipi posse: hos enim vti scribit Aristoteles 1. Rhetoric. nullum negotium est lædere.* QVIBVS PER CAETERAS gentes) *Amplificatio à rei magnitudine, de qua Soarius capite 40. libro 1. valet hoc in loco ad concilian-*

liandam auditorum beneuolentiam. MAXIMI & clari) Constat enim, Clementiam plurimum adiumenti attulisse Romano imperio: & plures hac virtute Reipublicæ profuisse, quàm qui in μισανθρωπίαν inciderunt: ex quo præclare Cicero Offic. primo. Nihil laudabilius, nihil præclaro viro dignius placabilitate, & clementia. PLVRIMVM Timoris) Huius timoris origo tum populi causa, tum Syllæ oriebatur: populus clemens, & probus: Sylla vero tyrannus, quiq; in dies peior fit populi lenitate. TYRANNIDEM) Tyrannidem appellare videtur dictaturam Syllæ, quã nondũ se abdicasse Syllã significat Sallustius: tametsi superiore anno depositã ab illo sentiat Appianus cum Plutarcho. Orosius etiam scribit. P. Seruilio, App. Claudio Coss. Syllam se dictatura abdicasse. Est autem artificiosè vsus hoc verbo, quo mirificè commouetur populus, cui carissima solet esse libertas: ita vides attentionem sibi præparare ad ea, quæ dicturus est. NE aut ipsi nefanda) Perpetuo studet sibi beneuolentiam auditorum retinere: cuius probitati opponet subinde scelus, & Syllæ perfidiam, quo illum in odium adducat. PARVM credendo de alijs) Vt enim quisque probus est, ita alios minime improbos existimat. Pulchrè illud Publij Vtrumque vitium est, nulli credere, & omnibus. CIRCVMVENI ANIMI.) Translatio, de qua Soarius cap. 10. libr. 3. Sumpta videtur ab ijs, qui feras circumuallant, vt effugere minimè possint translationes autem orationem sæpe apertiorẽ reddunt: iccirco scribit Cicero in lib. de Oratore; hac frequentissime vti omnem sermonem non modo vrbanorum,

sed etiam rusticorum. PRAESERTIM cum illis spes) *Auget iterum timoris sui causam, sæpius inculcata Syllæ improbitate: ita vides paulatim plebis animos ad vlciscendum inflammari: interim obiter illos dociles reddit.* INTESTABILIOR) *Gellius lib. 6. cap. 7. ex 12. tabulis? improbus, intestabilisque est.* METV vestro) *Mire quidem hoc dictum etenim bilem populo. Ro. excitat: cum se despectui Syllæ esse intelligat: ita iracundia illis animos addit; quæ vt ait Aristoteles Rhetor. 2. fidentiores facit: iccirco iracundiam fortitudini stimulum adhibere, Peripatetici aiebant: iratosque ardentius in hostes ituros, & pericula quæque spreturos Cicero in Academicis, & plenius Tusculana quarta scribit.* METV vestro) *Qui quidem veluti cibus tyrannis esse solet: tunc enim semideos se existimant esse, cum ipsos homines timuerint: ex quo fit vt facile (quod scribit Cicero) ad belluinam naturam degenerent. In hos rectè dixit Seneca in Oedip.,, Qui sceptra duro sæuus imperio regit,, Timet timentes, metus in auctorem redit: aliquod ab hinc annis vir doctissimus. Marcus Antonius Muretus annotauit, multa nomina à veteribus, & actiua, & pathitica significatione vsurpari: odium, insidiæ, inuidia. vt etiam metus.* CAPTIVIS) *Vobis Romanis, qui tanquam capti à Sylla detinemini: ita perstat in translatione.* LIBERTATIS) *Cuius cum semper maxime studiosi fuistis vos Romani, nunc multo magis esse debetis: Iccirco sæpius illis in mentem reuocat, quod suapte natura plebi iucundissimum esse solet. Extat illud Claudiani lib. 3. in Stiliconem numquam libertas gratior extat,, Quàm sum sub rege pio.*

TE-

TENEAMINI) *Studeatis, cogitetis: hoc* SATELLITES quidem) *Locus attentione dignus, qui vt facilius intelligatur, ea in mediũ afferam, quæ necessaria puto. Scimus itaque, Oratoris officium esse, dicere apposite ad persuadendum: tunc vero facile persuadere nos posse, cum dictis nostris, & orationi fides adhibeatur: quæ autem sunt, quibus fide digni videmur? Ea docet Aristoteles Rhetoric. 2. scilicet, si orator prudens, & probus vir, & beneuolus ijs, qui audiunt, videbitur: quibus omnibus si præditus (ne dũ erit) existimabitur, haud esse poterit, quin facilè fide dignus habeatur. Quamobrem considerandum est, an Lepidus det operam, vt existimari poßit, hæc tria in ipso esse: id mirificè præstat: De beneuolentia erga populum Rom. illa, quæ superius dicta sunt, satis sint: scilicet, plurimum timoris mihi faciunt. Ad prudentiam vero spectant ea, quæ attigit, consilia Syllæ eo spectare, vt metu populi R. libertatis curam eximat cunctis: quæ autem nunc ait, se non posse satis mirari, patritiorum quorundam voluntates qui se Syllæ coniunxerint, & à maiorum exemplis degenerarint, satis declarant ipsius Lepidi probitatem, vt qui valde abhorreat ab illorum ingenijs.* MAXIMI nominis, & maiorum) *Duo ducit, & eos nobiles esse, & domestica habere exempla, quæ quidem ad ipsos Brutos, AEmilos, & Lutatios laudandos valere vtcunque videntur. Sed hæc laus subinde statimque in dedecus vertitur: vt qui euertant à suis maioribus pacta: cuius etiam dedecoris iecit semina quædam vocella. Satellites. quod verbum criminosum est.* EXEMPLIS) *de Lucio Bruto, qui Tarquinum interfecit, satis notum illud Ciceronis*

Phi-

Philippica quarta huc afferam, quod ad hoc illustrandum valet plurimum. Est enim quasi Deorum immortalium beneficio, & munere datum Reipublicæ Brutorum genus, & nomen, ad libertatem populi Romani vel constituendam, vel recuperandam. Ex AEmilia gēte quinam triumphum egerint, ex factis cōsularibus videre est: De Lutatijs vero paucis non notum; vt Q. Catulus Lutatius cum C. Mario triumphauit anno DCLII. DOMINATIONI) *Expolitio admirationis, qua tenetur: sed cum indignatione, & odio: vult enim hoc intelligi: nobiles istos esse scelestissimos, vt qui libertatem euertant, neque eam, vt maiores sui fecerunt, tueantur.* VTRVMQVE) *Intellige imperium, & iniustam seruitutem: odiosa vero tota hæc oratio: nam quid insulsius, cum possis libertate frui, seruire velle, Omnes profecto liberi libentius sumus, quàm seruimus. Plautus in captiuis.* PRAECLARA brutorum) *Auctam vides orationem per Ironiam, de qua Soarius cap. 18, lib. 3. Innuit autem, patricios istos omnes fœde polluere, et imminuere nobilitatem suam, cum maiorum suorum ornamenta fœde coinquinent. Cæterū haud dubie intelligit hoc in loco M. AEmilium Mamercum, Lepidum Liuianum, & D. Iunium Brutum consules anni sequētis, vt colligit vir doctissimus Carolus Sigonius in Fastis Consularibus.* LVTATIORVM) *Quintum Lutatium Catulum accipe, collegā ipsius Lepidi, qui deinde mortuo Sylla, vt Flarus, & Appianus testantur, vehementer Lepido vnà cū bonis omnibus aduersatus est, quod de rescindēdis actis Syllæ legem promulgasset.*

ORA-

ORATIO.

NAM quid à Pyrrho, Hannibale, Philippoque, & Antiocho defensum est aliud, q̃ libertas, & suæ cuique sedes ne cui nisi legibus, pareremus? quæ cũcta sæuus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet nõ tot exercituum clade, neque consulis, & aliorum principum, quos fortuna belli cõsumpserat, satiatus: sed tum crudelior, cum plerosq́ue secundæ res in miserationem ex ira vertant. Quia solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit, queis prius iniuria, quam vita certa esset. prauissimeque per sceleris immanitatẽ adhuc tutus fuerit, dum vos metu grauioris seruitij à repetenda libertate terreamini.

EXPLANATIO.

NAM quid aliud) *Aetiologia est, qua probat, illos natos ad euertenda gloriose facta à maioribus: ac Syllogismus ita, se habere cernitur: Qui ea euertunt, quæ à maioribus parta sunt, libertatem euertũt: Bruti, AEmilij, Lutatij ea euertunt, ergo ijdẽ & libertatem. Sed hæc ab oratoribus cũ maiestate quadam dicuntur: vult enim locuples, & spetiosa videri, & esse Eloquentia, vt scribit Soarius cap. 26. lib. 2. Attende autem, vt exornetur hæc oratio exemplis: hæc enim in cohortationibus valere plurimum auctor est idem Soarius cap. 41. libr. 1. Et Aristoteles lib. 3. Rhetoric. Nam deliberatio est de futuro: qua-*

re ex rebus iam factis exempla ad probandum, ducere oportet. His vtitur Cicero Philipp. quarta, in qua istud ipsum argumentum tractatur, & penè dixerim ijsdem exemplis. QVID à Pyrrho) Scribit Aristoteles Rhetoric. I. quinque esse, quæ tanquàm materia Deliberationum sunt: & eas oportere oratorem bene calere. De vectigalibus, de bello, & pace: de custodia agrorum, regionisq; de rebus, quæ importantur, & exportantur: de legibus condendis: hic itaq; vides, Lepidum bellum persuadere potuisse: vt qui exempla ex historia probe teneat. Anno CDLXXII. initium, est bellum contra Tarentinos, quod, vt legitur, Epitoma 12. cum à Tarentinis classis Romana direpta esset, duumuiro, qui præerat classi, occiso, legati ad eos à senatu, vt de iniurijs quererentur, missi, pulsati sunt. ob id bellum ijs indictum est. Samnites defecerunt: aduersus eos, & Lucanos, Brutos, & Etruscos aliquot prælijs à compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, vt auxilium Tarentinis ferret, in Italiam venit. Valerius tamen Maximus scribit, quod vrina respersi, non pulsi fuissent. Hoc idem videtur tangere Plinius lib. 8. cum scribit, anno vrbis conditæ CDLXXII. Italiam primum Elephantos vidisse Pyrrhi bello. ANNIBALE) Anno CDXXCIX. Appio Claudio Caudice, & Q. Fuluio Coss. illatum est Pœnis bellum, causam, cur sit illatum, apud Solinum leges: constat omnino pro Mamertinis susceptum qua de re ita scribit Polibius. Appium Claudium consulem, cui Sicilia obtigerat, Mamerti ad se vocarunt Præfecto quodam pœnorum ex arce pulsos Pœni ea re perciti Messanā obsident, sociumq; obsessionis Hyeronem, Syracusanorum

norum regem sibi adiungunt. Appius Claudius traiecit in Sibiliam, ac primum de pacis conditionibus cũ vtrisq; egit: quibus reiectis Hyeronem ita prælio fregit, vt ipse relicta Meßana, se Syracusas receperit: quas etiam Appius Claudius obsedit. postea vero contra Annibalem pugnatum est iterum Anno DXXXV. *Coss. Pub. Cornelio T. Sempronio, & susceptum pro Saguntinis. Florus lib. 2. cap.* V. *Igitur in causa belli Saguntus deleta est, Hispaniæ ciuitas opulenta, fideiquéerga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum. Causam vero tertij belli Punici, & indicti, & initi Anno* DCIII. *L. Marcio, M. Manlio* COSS. *apud eundem Florum leges, lib. 2. cap. 14.* PHILIPPOQ.) *Contra Philippum, Macedonum Regem, pro Atheniensibus, implorantibus auxilium, contra regis iniurias pugnatũ est: Anno* DLII. *Ca. Cornelio Lentulo. P. AElio Pœto Coß. Florum lege cap. 6. lib. 2.* ANTIOCHO) *Huius rei meminit etiam Cicero pro Pompeio: qui scribit, Romanos cum Antiocho rege pro socijs dimicasse. Hi vero socij populi Romani erant Græciæ. Vide, qui scripsit de viris illustribus, Florum, Liuium.* QVAM libertas, & suæ cuiq; sedes) *Rebus diuersis Lepidus amplificat orationem suam, de qua amplificatione scribit Soarius cap. 33. lib. 1. ea certe plurimum valet in promouendis mentibus. Cum hoc loco satis perbelle quadrat illud Menandri apud Stobæum sermone 39. Domi manere oportet, ac permanere liberum, aut non amplius viuere illum, qui recte beatus est.* NE cui nisi legibus pareremus) *Multa præcipit Aristot. Rhetoricorum 3. quæ efficere orationem grãdem possint: quorum omnium primum esse vult, si vtamur*

ali-

alicuius rei definitione, non nomine: etenim definitio vim nominis pluribus explicat, quæ cuncta nomen in se inuoluta continet. Vides itaque hic orationem grandem, & auctam definitione: nam quid aliud est libertas, quàm ne cui, nisi legibus pareas? QVAE cuncta) Cap. 2. lib. 2. apud Soarium præceptum est; aduersariorum personam in odium auditorum adduci posse, si contraria his, quæ de nobis diximus, de illis dicemus. Quare hic diligenter annotandus est locus: cum enim maiorum exemplis ostenderit, quæ cuiq; carissima solent esse, & defendenda sunt, nunc opportunè ad Syllæ personam redit, ostendens, illum hæc omnia euertere, quod mirificè valet, ad odium illi excitandum: crescit autē oratio, & epithetis, & falsis nominibus: Sæuus Romulus. SAEVVS Romulus) Sæuus hoc est ex primo metaphoræ genere ductum: in rebus enim animalibus aliud pro alio ponitur. Soarius libr. 3. cap. 10. Vox autem illa Romulus, non insulsè posita videtur, sed aut ironice, aut similitudine quadam dicta. Si similitudine hoc pacto accipies. vt Romulus primus Romanorum rex, ita Sylla primus dictaturam occupauit perpetuam: si vero ironicè, quod non displicet (nam Ironiā Cicero in Bruto, & facetam, & elegantem putat) Ita intelliges, inuidiæ concitandæ causa: Vt Romulus conditor vrbis fuit, & Rex pietatis, & iustitiæ amans, ita Sylla horum omnium euersor. RAPTA tenet) Singula quæq; verba, quæ sequuntur, odiosa: & est obseruandum, obiter incredibili quadam dexteritate, impiè facta Syllæ commemorari, semperq; oratione crescere. TOT exercituū clade) Vox tot, ad

ad cõmiseratione excitandã, non modo odiũ valet: inseruit autem, quantum potest veritati; quæ prodest ad acquirendam fidẽ: innumerabiles siquidẽ fuerũt, qui periere milites Marij, Sulpitij, Syllæ, Gnei Octauij, Cornelij, Cinæ, Scipionis, Norbani, & Carbonis: ex Eutropio. NEQVE Consulis) Historiæ fides exigere videtur, vt Consulum, legatur: & intelligas Marium, & Gneum Carbonem interfectos: de quibus in argumento. SATIATVS) Maximam emphasim habet hoc verbum; tanquam enim de voracissima bellua loqueretur, ea, quæ gustus erant, ad animum transtulit. Sic sæpe loquuntur optimi au ctores ad rem augendam. CVM plerosque) γνώμη, qua Syllæ inhumanitas augetur, tanquam contra naturam omnia peragat. Alij enim secundis in rebus, ex ira in mansuetudinem delabuntur; hic verò, tunc, quum belli fortuna magis ipsi arridet, tum magis in homines sæuit. Intelligit autem octo millia deditorum, qui à victore Sylla fuerant trucidati. Cicero pro Marcello contra Cæsarem laudabat, quod in victoria clementem se præberet.
PRIVS iniuria, quàm vita) Oratio miserationis plena, quæ hic à futuro tempore excitatur, vt docet Aristoteles Rhetoricorum secundo. Quæ autem sint, quæ misericordiam mouent, ibidem docet: quæcunquê scilicet ad interitum perducunt: quæue aut ægritudinem animo, aut dolorem corpori afferunt. PRAVISSIMEQVE per scelus) Quòd Lepidi oratio eò spectabat, vt cohortaretur populum Romanum ad sumenda arma contra Tyrannum Syllam, quasi vberius argumentum exquirere vellet, turpissima facta illius hic complecti videtur, quo

magis turpissimus iste in odium adducatur. innuit porrò illius immanitatem eò progressam esse, vt nunc tutus, neq; quicquam formidans volitare, & fuer... videatur. Perspicitur etiam confirmare, quæ superius dixerat: præsertim, cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neq; se aliter tutum putet, quàm si peior, & intestabilior sit.

ORATIO.

AGENDVM, atque obuiam eundum est, Quirites; ne spolia vestra penes illum sint: nō prolatandum, neque votis paranda auxilia: nisi forte speratis, per tędium iam, aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata periculosius dimissurum: at ille eò processit, vt nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinēdæ dominationis honesta æstimet. Itaque illa quies, & otium cum libertate, quæ multi probi potius, quàm laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt: hac tempestate seruiendum, aut imperitandum; habendus metus est aut faciendus, Quirites: nam quid vltra? quæue humana superant aut diuina impolluta sunt? Populus Romanus paullo ante gētium moderator exutus imperio, gloria iure, cogitandi inops, despectusque, ne seruilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum, & Latij magna vis ciuitate, pro multis, & egregijs factis a vobis data per vnū prohibētur: & plebis innoxiæ patrias sedes occupauere

uere pauci satellites, mercedem scelerum, Leges iudicia, ærarium prouinciæ, reges penes vnum. Denique necis ciuium, & vitæ licentia simul humanas hostias vidistis, & sepulcra, infecta sanguine ciuili. Est ne viris reliqui aliud quã soluere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem vnum omnibus finem natura vel ferro septis statuit: neque quisquam extremam necessitatem, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat.

EXPLANATIO.

AGENDVM, atque obuiam) *Ante in vniuersum de orationis partibus pauca quædam dixi: nũc autem, quòd iam eò peruenimus, vt excutienda sint noua quædam argumẽta, ad confirmandum necessaria, par est, vt quod pollicitus sum, persoluam. Quare vt hæc ab adolescentibus, in quorum gratiam hæc scribimus, dignoscantur, memoria repetendum est, quod libr. primo capite 50. apud Soarium disputatur: nempe in deliberando finem esse honestum, & vtile: atque etiam eiusdem libr. capite quinquagesimo primo suadendi partes in vniuersum esse tres, rem scilicet, de qua deliberatur, fieri posse: Secundo honestã esse: tertio vtilem: quibus etiã partibus attribui necessarium, apud eundẽ auctorẽ videre est. Videbis ergo omnes rationes, quibus suadebit cõsul, sumi ab honesto, vtili, possibili, & necessario: quarum aliquot sin minus omnes, suo loco exponam.* AGENDVM NE spolia) *Cohortatio ad reprimendos nefarios Syllæ conatus: ea autem ad hanc*

vnam vtilitatem spectant, vt redimant quanto citius spolia sibi ipsis à Sylla dempta. Ea sunt libertas, & agri: quam etiam orationẽ si propius attendas, & à necessario, & ab honesto duci, videbis: sine libertate siquidem vita miserrima est: agros autẽ ab hoste teneri, indecorũ est. NEQVE votis paranda auxilia) *Altera ratio à necessario: quæ ducitur ab inquinatißimo Syllæ ingenio; obuiam eundum, inquit, est; non prolatandum; quia nunquam ille dictaturam deponet. Cæterum non dißimile sensit M. Portio* Cato in Catillinario. *Non votis, neque supplicÿs muliebribus auxilium deorum paratur: vigilãdo, agendo, consulendo prospere omnia cadunt: vbi socordiæ te te, atque ignauiæ tradideris, nequicquam deos implores. Huic etiam sententiæ adstipulãtur Virgiliana carmina* Georg. 3.

——alitur vitium, viuitq́; tegendo
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora Deos sedet omnia poscens.

nimirum sapienter illud dictum: Consulito, vbi consulueris, mature facto opus est. NISI forte speratis) *Salcè hoc dictum, & ad odium concitandum aptißimum: quasi eum & tædere, & pudere poßit, qui sibi omnia licere existimari, humanaq́;, & diuina perturbarit.* PERICVLOSIVS dimissurũ) *Hoc vt intelligatur, tenendum memoria est Phalaridis dictum: Deponere imperium, periculosius esse, q̃ parare. Inuenit ergo, fore, si deponat tyrannidem Sylla, vt priuatus male ab his tractetur, quos ipse crudeliter nimis vexarit.* AT ille eò processit) Ἀνθυπόφορα *figura, quæ refellenti conuenit: refellit ergo, quod obÿci poterat: illum, asserens,* num-

numquam tyrannidem cum periculo depositurum. propterea quod, nihil gloriosum arbitretur, nisi q& tutum: ita vides, Lepidum inquinatissimi hominis ingenium vbique insectari, vt qui nisi vtilitate ducatur. ET omnia retinendæ dominationis) Syllam tamen dominationem non retinuisse, declarant illa, quæ Suetonius scripsit: Cæsarem dixisse, Syllam nescijsse literas, qui dictaturã deposuerit: quod si ita est, vere à Cicerone officiorum 2. scriptum est, Cæsarem minus iustum Sylla fuisse. Nimirum, qui principatum suscipere vult, is esse debet longe melior his in quos suscipit: quod sensisse, scribunt, Cyrum Persarum Regem. ITAQVE illa quies) Mirum profectò qui tam multiplici scelerũ commemoratione Syllæ, homini profligatissimo, concitet odium: hoc vt facilius dignoscatur, rem paullo altius repetam: tritum illud est —nec voto viuitur vno. Itaque videre est diuersa sequi homines; inter quos sunt, qui seu patriæ amore, siue cupiditate gloriæ, potentiæve, aut splendoris alicuius impulsi, seu etiam, quod eos tangat auaritia, ad Rempublicam accedunt : nonnulli etiam sunt, qui animi tranquillitatem expetentes, vt scribit Cicero officiorum primo à negotijs publicis & amouerunt, ad otiumqúe refugerunt, tum, vt cõtemplationi se totos darent, quales passim Philosophos fuisse scimus; tum etiam, quod peruersos principum mores detestarentur. ijs itaque ait Lepidus, Syllæ improbitatem non parcere, sed otium, libertatemqúe illis intercipere : hoc idem se facturos, minitabantur Pompeiani milites, si victoria potiti essent. vt ex Epistola Famil. & ex oratione pro Marcello apparet. LABOREM cum honoribus)

ribus) *Totam hanc orationem illustratam vides cõ-trarijs, quæ suauem reddere orationem scribit Aristoteles. Soarius etiam lib. 3. cap. 28. vbi scribit de figuris verborum. Sunt autem hæc otium, labor, libertas, honores.* LABOREM cum honoribus) *Multi hoc vitæ genus fortasse sibi elegerunt. Demosthenis dicto edoctius enim dicere cõsueuerat: si præscisset Reipub. mala, metum inuidiam, calumniã, cõtrouersias, pericula denique, se potius rectà ad inferos descensurum, hoc est, potius moriturum, quàm ad Rempublicam velle se conferre: in qua sententia fuisse videtur Alphonsus, rex Aragonum, quẽ, aiunt, sæpenumero peroptare consueuisse. vt populariũ suorum vnusquisque rex extitisset, quo demum ille, vtpote expertus, cognosceret principum occupationes & curas. Falluntur quidem maximopere, qui honorum plus nimium sunt appetentes: horum si quidem periculosa est conditio: audi Senecam in Octauia;*

O funestus multis populi
Dirusque fauor, qui cum flatu
Vela secundo ratem impleuit,
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto, sæuoque mari.

HABENDVS metus, aut faciendus) *Idem dicere videtur, quod antea: seruiẽdum, aut imperitãdum: qui enim alijs metum, terroremve inijciunt, hi dominari videntur: qui vero timent, serui quasi sunt: syllogismus aũt ita se habere videtur: aut seruiendum, aut imperitãdum, non seruiendum, ergo imperitandum: sed à Dilemmate non longe distat.* NAM quid vltra) *Attende, vt concitata oratio-*

in maximam angustiam Reipub. statum adducat: quod sit elegantissime & hypothyposi, & interrogatione: de cuius vi Soarium vide. Vrget autem hæc oratio, & quasi in vnum colligit Syllæ palmaria facinora, quæ vsque ad illud. Est ne viris aliquid, commemorantur. POPVLVS Romanus) *Quòd ea, quæ sequuntur plena sint tum misericordiæ, tum stomachi, vix autem, vt ego reor, orationis tantam vim assequeris, nisi, quæ motum animis afferant, scias, hortor, vt ea, quæ ab Aristotele Rhetor. 2. de misericordia scribuntur ea accurate legas.* PAVLO ante) *Hæc vna est ex illis rebus, quibus misericordiam elici docet Aristoteles: scilicet, si commemorabimus ea, quæ modo euenerunt, aut euentura sunt; quippe quod hæc, vt præsentia, & tanquam ipsis auditoribus spectantibus gerantur.* GENTIVM moderator) *Romanos, rerum dominos, gentemque togatam: ait diuinissimus poeta: immo regum, populorũ, nationumque portus erat, & refugium Senatus Romanus. Hyeron. enim, Ptolomeus, Ariobarzanes, Deiotarus, Greci, Macedones Romanorum opibus se tutabantur* EXVTVS) *Pathos ab iniustitia, augetur interim oratio vocibus, imperio gloria, iure.* COGITANDI inops) *summam rerũ desperationem innuit sic sæpe apud* Comicos: *nec quid cõsilij capiam, sat habeo.* NE seruilia alimẽta) *Hoc etiam vnum ex ijs est, quæ interitũ afferre solent: iccirco misericordia excitatur, si quãdo, in tantam egestatẽ aliquam incidisse, videmus, vt, vnde se alat vix habeat Virgil.*

—nec doluit miseratus inopem.

SOCIORVM & Latij) *Cicero offic. 2. testatur, Ro*

mano-

manorum dominationem patrocinium orbis terræ verius, quàm imperium potuisse nominari: quod magistratus, Romaniqúe, imperatores ex vna hac re maximam laudem sibi comparare studebant, si socios, prouinciasqúe æquitate, & fide defendissent. Verū sensim hanc consuetudinem, & disciplinam iam antea imminutam, post vero Sylla victoriam penitus amissam, idem scribit. quod confirmari à Sallustio hoc in loco vides: qui enim pro egregiè factis socijs à Sylla adimebantur. Est enim ausus dicere hasta posita, dum bona in foro venderet, & bonorum virorū, & locupletum, prædam suam vendere: vnde verißimum esse apparet, à Mimo illo Publiano dictum

Fortuna, quem nimiū fouet, stultū facit,
Nec stultum tantū, sed insolentem etiam, & iniustum.

Hac etiam de re conqueritur Cicero in Oratione pro domo sua. PER vnum) Vocem hanc oppositam vides verbis illis, pro multis; quæ vox odiosa Quiritibus: quasi dicere vellet, vnus hic multorum vires imminuit, & prosternit. PLEBIS innoxias patrias sedes) Vox, plebis, apud populum odium concitat; quippe quæ se despici, prorsusque negligi sentit: innoxiæ misericordiam mouet: insontem enim dignè tractari, quis non doleat? de patrijs quoq; sedibus innocentem aliquem depelli, quis non inuitus ferat? Ergo indignationem, re tam grata priuari: vt enim scribit Ouidius de Ponto.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducat, & immemores non sinat esse sui.

merito dolebat ille.

Nos

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua.

MERCEDEM sceleris) *Cum stomacho dictum quasi dicat: vtcunq; hoc ferri posset, si merces hoc à iuste, probeq; factis emanaret.* LEGES, iudicia ærarium) ἀσύνδετον, *seu, vt vocat Soarius, Dissolutio. Demetrius Phalereus lib. de Elocutione docet; hanc maxime omnium opificem esse formæ grauis dicendi; actionem enim, & contentionem præbet dicenti. Hoc loco Syllæ potentiam ita complectitur, vt, illum tyrannum crudelissimum esse, declaret: quippe qui ea, quæ Senatus, ordinis equestris, & plebis erant, ea omnia sibi iniquè arrogarit. hæc autē omnia illustrātur Epitoma* LXXXIX. NECIS ciuium) *Hoc crudele quoddā subolet, & aliud quid grauius, quàm quod facinorosis satellitib. adiutus maxima ciuium clade commiserat Sylla. quare hic significari necem Lucretij Aselli facilè crediderim; qui quòd contra Syllæ voluntatem ausus esset consulatum petere, iussu Syllæ in foro interemptus est. Epitoma* LXXXIX. HVMANAS Hostias) *Terrorem incutiunt verba hæc. Sic Cicero pro Fonteio. Humanis hostis Dijs immolare. Illud memorabile Sabini apud Cornelium Tacitum, qui cum Kal. Ian. ad supplicium traheretur, quo plebis misericordiam exciatret, & Tyberio crudelitatē exprobraret, clamitabat. Sic inchoatur annus, hæ Seiano victimæ cadunt? Sed nec omittendum censeo, quòd Seneca scribit libro de diuina Prouidentia. Lacum scilicet Seruilium Syllanæ proscriptionis spoliarium fuisse: in eoq; Syllanis temporibus multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris sectis ceruicibus pependisse, ait Firmicus libro primo Matheseos. Quod autem dicit; sepul-*

chra infecta sanguine ciuili, confirmare videtur, quod superius dixerat: quæue humana superant, aut diuina impolluta sunt? Sepulcrorum enim iura Romanis sacra fuisse, antiquæ legis declarant verba illa: Vbi corpus demortui hominis condas sacer est: & sepulturæ honoribus caruisse, omnibus, vt paßim videre est, acerbum eueniebat. Vnde legitur apud Isocratem, in oratione de Bigis, Tyrannorum non modo erutas ædes, sed sepulchra etiam effossa, quod in eorum contemptum factum fuit. ESTNE viris) Post commemorationem, satis formidabilem, scelerum, & impiè factorum Syllæ quasi eò peruenisset, quò vellet, totum hunc locum concludit argumẽtis, ductis ab honesto, & necessario: Honestũ enim exigit, vt viri fortes, quales Romani esse solent, acceptas iniurias vlciscantur: & vt ait Isocrates in Panegyrico, illis optabilius sit honesto mortem oppetere, quàm turpiter viuere: huic autem argumento statim subijcitur alterũ à necessario; quod omnibus semel sit moriendum. Hic mihi temperare nequeo, quin Ciceronis locum ex quarta Philippica in medium afferam: nam ex locorum, & argumentorum similitudine adolescentes & imitandi rationẽ & orationis copiam quàm facillime sibi comparare posse semper existimaui. Sic ille dum populum Romanum contra Marcum Antonium inflammaret. Quamquam mortem quidem omnibus natura proposuit: crudelitatem mortis, & dedecus virtus propulsare solet; quæ propria est Romani generis, & seminis. hanc retinete, quæso, Quirites, quam nobis, tanquam hæreditatem maiores vestri reliquerunt: &c. vbi vides & mortis, & virtutis mentionem factam esse

esse ab vtrisque VIRTVTEM) Fortitudinem intelligo ego à Græcis ἀνδρίαν παρὰ τὸν ἄνδρα dictam. hinc apparet, virum fortem in rebus aduersis semper sibi occinere debere.

Perfer, & obdura mea mens grauiora tulisti:
ne scilicet vnquam ab officio suo discedat. QVONIAM quidē) Locum hūc æmulatus videtur Sallustius ex Parenesi Isocrates ad Demonicum: ille enim sic: Nam fatum omnes quasi capitis condemnauit: mortem autem honeste appetitam, natura peculiare præstantium virorum munus esse voluit. Crebra autem est mortis necessitatis mentio apud auctores, tam Græcos, quàm Latinos Euripides: Cunctis mortalibus mors debetur, & nullus hominum certo nouit, an victurus sit diem crastinum: Horatius quoque.

Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidove tergo.

& alibi:

Nullum sæua caput Proserpina latet:
ex quo apparet, quanta sit hominum cæcitas, qui inuicem struunt sibi insidias; in quos iure optimo inuehitur Tibullus, quem tu Petre Francisce Toccole, annotationibus illustrandum suscepisti.

Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Argumentū sic se habere videtur, vt omnia colligamus; Quicquid fatali necessitate cōparatū est, id non magnopere metuēdum: mors omnibus fatali necessitate cōparata est. Ergo non magnopere timenda.

ORA-

ORATIO.

VERVM ego seditiosus, vti Sylla ait; qui præmia turbarum queror, & bellum cupiens quia iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salui, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, Scriba Cornelius aliena, bene parta, prodegerint: nisi approbaritis omnes proscriptiones innoxiorum ob diuitias, cruciatus virorum illustrium, vastam vrbem fuga, & cædibus bona ciuium miserorum, quasi Cimbricam prædam, venum, aut dono datã. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si rectè faceremus. Atq; illa, quæ tum formidine mercatus sum pretio, soluto iure, dominis tamen restituo: neque pati consilium est, vllam ex ciuibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta tolerauimus, manus conserentes inter se Romanos exercitus: & arma ab externis in nos versa: scelerum, & contumeliarum omnium finis sit; quorum adeo Syllam non pœnitet, vt & facta in gloria numeret, &, si liceat, auidius faceret. Neque iam quid existimetis de illo, sed, quantum vos audeatis, vereor, ne alius alium principem expectantes, ante capiamini, non opibus eius, quæ futiles, & corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam raptum iri licet, & quam audeat, tam videri felicem. Nam præter Satellites commaculatos, quis

quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter, victoriam? scilicet milites quorum sanguine Tarulæ, Scyrrhoq;, pessimis seruorum, diuitiæ partæ sunt: an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera, & labores nihil præter tyrannum, quæsitum est, nisi forte tribunitiam potestatem euersum profecti sunt per arma, conditam à maioribus suis: vtiq; iura, & iudicia sibimet exorquerent: egregia scilicet mercede, cum religati in paludes & Syluas contumeliam, atq; inuidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.

EXPLANATIO,

VERVM ego (seditiosus) *Peruenimus ad eam orationis partem, in qua sibi obiecta crimina à Sylla, diluit Lepidus: ea quænam sint, prius ostendendum est, subinde argumenta vnde ducta sint, declarabimus. Tria obijciebat aduersarius, Sæditiosum esse Lepidum: belli cupidum: & possessiones ex bonis proscriptorum occupasse: hæc diluit, argumentatione sumpta à repugnantibus seu maius contrarijs, de quibus Soarius lib. 1. Prior sic se habet: Qui quæritur præmia turbarum, non est is seditiosus: queror ego turbarum præmia: ergo seditiosus haud sum: seditiosum autem esse, & pramia turbarum queri, repugnantia sunt. Secunda argumentatio, vt à repugnantibus quidem ducatur, exornata tamen contrarijs est. Qui iura pacis repetit, bellum non cupit, repeto ego pacis iura, er*

go

go non bellum cupio aduersa sunt, Bellum, Pax. IVRA Pacis) Quænam sunt? vt quisque libere viuat, & fortunis, aut à maioribus relictis, aut labore, industriaue acquisitis, fruatur. SCILICET quia non aliter) Aperta Ironia, de qua Soarius li. 3. Cap. XVIII. vbi annotauimus, orationam augeri per Ironiam, sic hoc in loco, perditi erimus, quia Vettius Picens, Scriba Cornelius aliena, bene parta, prodigunt. VETTIVS PICENS) A loco, apparet, odiũ homoni conciliare. Sciendum autem est, ex agro Piceno homines fluxisse manu promptos: quod non semel videre est apud historiographos. Sallustius: nisi sunt Pratores Q. Pompeius Ruffus Capuam: Q. Metellus Cæler in agrum Picenum, illisque permissum, vti pro tempore, atque periculo exercitum compararet. Cicero quoque oratione 2. in Catilinam Q. Metellum delectum habuisse in agro Piceno, & Gallico scribit BENE parta prodegerit) Oppositis, quo sunt, bene parta, & prodigere. Satellitibus Syllæ turpissimis Nemesim parit. Hæc misericordiæ aduersatur, vt doctißime disputat Aristoteles Rhet. 2. PROSCRIPTIONES innoxorum) Scelera Sylla, quæ huc afferuntur, non faciam, vt singula quæque testimonio proborum auctorum confirmem, ne videar, lapillos omnes in maris littore velle colligere: vt tamen de illis aliquid dicamus, audi Paterculum. Videbantur finita belli ciuilis mala, cum Syllæ crudelitate aucta sunt: quippe dictator creatus immodicæ crudelitatis licentia vsus est. Primus ille (& vtinam vltimus) exemplum proscriptionis inuenit, vt in qua ciuitate petulantis conuicij iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati ciuis Reipub. constitueretur autora-

ramentum, plurimumque haberet, qui plurimos interemisset, neque occisi hostis, quàm ciuis vberius foret præmium, fieretque quisque merces mortis suæ. VIRORVM illustrium) πάθος ab hominū conditione: eodem ferè verbo vtitur Cicero oratione 3. in Catilinam: tum vero clarissimis viris interfectis lumina ciuitatis sunt extincta. De Syllæ crudelitate Valerium vide lib. 9. cap. 2. huius etiam meminit Cicero lib. 2. de Oratore in principio. VASTAM vrbem fuga, & cædibus) Confirmat idem Cicero oratione 3. in Catil. L. Sylla P. Sulpitium oppressit, C. Marium, custodē huius vrbis, multosq; fortes viros, partim eiecit ex ciuitate, partim interemit. QVASI Cimbricā prædam) Quā C. Marius consul. V. anno DCLII. adeptus est. Val. l. 5. Orosius, Plutar. DONO Datam) Maximis honoribus, præmijsq; prosecutum esse Syllam eos milites, qui ipsum secuti fuerant, apparet ex eo, quòd è gregarijs etiam militibus senatores fecit: alios vero ita ditauit, vt quod scribit Sallustius, regio victu, atque cultu ætatem agere possent. AT obiectat mihi possessiones) Scholijs nostris in Rhetoricam Soarij cap. 20. lib. 2. admonui strictius fortasse, quàm necesse erat, ibi de confutatione præcepta tradi: hortatus itaque sum, vt lector Aristotelem consuleret. Cùm autem eò peruenimus, vt ad illustranda ea, quæ tertio loco Lepido fuerant obiecta, ipso Aristotele nobis sit opus, hunc audiamus: sic ille; vbi vias ostendit, quibus crimina dilui possint: Animaduertere debes, num qui criminatur, ex illorum sit numero, qui culpam illam admisisse creduntur, aut nunc, aut prius. quod igitur, Lepido obijciebatur, de proscriptorum bonis,

id diluit hac ratione, vt non ipse, sed Sylla, proscriptionis auctor sit supplicio afficiendus. Syllam autem proscriptionis auctorem fuisse docet Velleius lib. 2. hoc modo confutandi vsus est Cicero pro Q. Ligario. atq; ex hoc ipso fonte ductum est exordium Actionis quintæ in Verrem. SATIS tutum fuisse, si recte faceremus) Notum illud C. Aurelij, qui cum nomen suum inter proscriptos legisset, inquit, Albana villa me perdidit. Auget itaq; odium illius, dum ostendit nec vllum etiam innocentiæ locum fuisse. ATQVE illa, quæ tum formidine) Iterum alia ratione obiectum crimen diluit: cuius idem Arist. Rhet. 3. meminit ἐκ τοῦ ἀντιδιαβάλλειν τὸν διαβάλλοντα· criminantem recriminari: innuit enim, se facti pœnitere, Syllam vero neutiquam: hunc impium non posse ad sanitatem redire; se vero eum esse, qui probe norit, cuiúsuis hominis (vt ait Cicero) esse errare, nullius vero, nisi insipientis in errore perseuerare: Eodem modo Damœtas ille à Palemone maledictum, in se iactum, diluit.

Partius ista viris tamen obijcienda memento
Nouimus, & qui te.

quod vidit doctissimus vir Victorius. NEQVE pati consilium) Probum se vndecunq; virum indicat. Probitas autem, vt ante ostendimus, vna est ex illis rebus, quibus fides acquiritur. SATIS ille fuerit) Calamitatum commemoratio, quas aliquis sit perpessus, potest illum adducere, vt in posterum rectius sibi consulat: quare tametsi vir probus videri velit Lepidus, vt qui diutius in mœrore versari, & calamitatibus affici populum R. nolit, eò tamen illius semper spectat oratio, vt præteritorum malorum mentione in-

inflammet Quiritum animos ad arcẽdam iniuriam à Sylla sibi ipsis: illatam: RABIE contracta) Translatio primi modi, vt vocat Soarius, sumpta à canibus, grauem reddit orationem, vt docet Demetrius. irã autem intelligit: cuius vis hæc est, vt ipsa gliscẽte nemo inimicos recõciliare queat, nisi cũ alteri alteros male mulctarint. Nemine dirimente, vltro discedant. Isocrates oratione 2. ad Philippũ. MANVS conserere) Ciuiles clades intelligit, illatas à Sylla Mario, Octauio, Cinna. VT & facta) Probat, Syllã, non suorum pænitere scelerũ, quia scilicet ea sibi laudi ducat, & turpius acturus sit, si liceat: Hoc autẽ est deploratæ salutis: nam, vt non malus existimandus est, qui inuitus peccat, sic de eo actum existimare debemus, qui ex praue factis voluptatẽ capit. NEQVE iam quid) Quæ sequuntur, eò fere omnia spectant, vt intelligat populus R. facile sibi fore, vt Syllæ crudelitatem, audaciam, tyrannidemq; sumptis armis opprimat: cuius facilitatis in omni persuasione præcipuè ratio est habenda. Soarius lib. 1. cap. 51. mouet interim eosdem affectus, quos & superius odium scilicet, & Nemesim. odium à turpitudine, Nemesim autem ab infima personarum conditione. SED quãtum) Obiter illorum socordiam perstringit, idque parthisia quadam, id est libera oratione seu dicendi licentia. QVAM raptum) Locus corruptus: vetusti codices sunt optandi. PRAETER victoriam) Videtur hoc dicere. Satellites eius victoriam amant, victorem oderunt. ITAQVE maximam) Ironia concludit totum hunc locum; innuitq;, Syllæ milites amplexuros potius populi partes, quam Tyranni. NISI forte) Correctio cum Ironia, in qua persistat comme-

morando populi incommoda, quæ hæc erãt, quod sub Tyrannide viueret: quod illi tribunitia potestas esset erepta, quod amplioribus præmijs donati essent Sylla satellites, quã ipsi milites. CONDITAM à maioribus) *Quo tempore plebs in sacrum montẽ secessit*

ORATIO.

QVARE igitur tanto agmine, atque animis incedit? Quia secundæ res mire sunt vitijs obtentui; quibus labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi forte specie concordiæ, & pacis, quæ sceleri, & parricidio suo nomina indidit. Neque aliter Romani populi esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebs, præda ciuilis acerbissima, ius, iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi R. fuit: quæ si vobis pax, & concordia intelliguntur; maxima turbamenta Reipublicæ, atque exitia probate: annuite legibus impositis, accipite ocium cum seruitio, & tradite exemplum posteris ad populum R. suimet sanguinis mercede circumueniendum. Mihi quanquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini maiorum, dignitati, atque etiam præsidio; tamen non fuit consilium priuatas opes facere potiorque visa est periculosa libertas quieto seruitio. Quæ si probitatis, adeste, Quirites, &, bene iuuantibus Dijs M. AEmilium consulem ducem, & auctorem sequimini, ad recipiendam libertatem.

EXPLANATIO.

NEQVE aliter Romani) *Verba, quæ frequenter in ore Syllæ erant: valent ad odium illi excitandum. quippe quæ priuationem bonorum quandam innuant.* QVAE si vobis) *Hæc est Orationis peroratio, in qua, vt antea admonui, repetit superiora argumenta, mouet, & conciliat sibi Quirites: eadem tractantur cum Ironia, quo plus virium habeant, & dedecus, infamiamq; clarius indicent.* ANNVIT E legibus impositis) *Habes hic locos, sumptos ab inutili, & turpi: vt iam lector discere poßit, quanta cum dexteritate repetenda sint argumenta in Peroratione: id certe oratori summopere enitēdum est, ne diffidere auditoribus videatur.* IMPOSITIS) *Mouet hic odium Syllæ, dū hoc verbo vtitur.* MIHI Quāquàm) *Alter locus, in quo sibi Quiritum animos cōciliat: augetur fiducia, cum ostendit, non esse quòd timeant rebus suis, cum, Deos sibi fore auxilio, intelligant.* LIBERTATE) *Vox plebi gratißima, & quā clausulam de industria Orationi suæ imposuisse Lepidum existimarim, quo acrius illam vrgeret, & inflammaret: non dißimilis finis Philippicæ 4.*

ANALISIS ETHICA.

I. *Non prolatandum, neq; votis paranda auxilia.*

II. *Peßimus ille est, qui nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinendæ dominationis honesta æstimet.*

III. *Est ne viris reliqui aliquid, quam soluere iniuriam, aut mori per virtutem?*

IIII. *Secundæ res mire sunt vitijs obtentui.*

V. *Plerosq; secundæ res in miserationem exarauerunt.*

VI. *Turpe est, leges, iudicia, ærarium, prouincias, regesq; penes vnum esse.*

VII. *Potior videtur periculosa libertas, quieto seruitio.*

FINIS.




uere in

ui.
m ex i-

rouin-

quieto



Erythraeus de Ep[illegible]
& Soarez Rhetoric[illegible]